


THE LIBRARY OF CONGRESS

SPECIMEN HISTORICO-LITERARIUM INAUGURALE,

EXHIBENS

AD THUCYDIDEAM BELLI PELOPONNESII EPOCHAM

ANNOTATIONEM.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

SPECIMEN

HISTORICO-LITERARIUM INAUGURALE,

EXHIBENS


AD THUCYDIDEAM BELLI PELOPONNESII EPOCHAM

ANNOTATIONEM.

SCRIPSIT

W. C. L. CLARISSE,


PH. THEOR. LITT. HUM. DOCTOR, GYMNASII NASSAVICO-VELAVICI RECTOR.



LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD H. W. HAZENBERG JUNIOREM.

MDCCCXXXVIII.



Ornari res ipsa negat contenta doceri.

MANILIUS.

CLARISSIO PATRI OPTIMO

S. D. P.

LUDOVICUS FILIUS OBSERVANTISSIMUS.



Non dubitavi, vir dilectissime, quo carius in his terris nihil mihi esse potest, quin, uti pro mea in te pietate privatim soleo, ita et hodie, solemni hacce opportunitate, qua Doctoralem gradum capesso, paterno illo potissimum nomine publice Te compellarem. Est sane mihi hoc Patris nomen longe carissimum prae quovis alio, quod Tibi tribuit Regis benevolentia, confirmavit civium amor, Tute ipse superasti insigni Tua in Ecclesiam omnemque publicam salutem meritorum laude. Sed eum semper mihi Te praebuisti, qui non natura tantum pater, verum consiliis praecipue haberi velles: Tu, ut auctor mihi fueras τοῦ ζῆν, illud in primis efficere studuisti, ut Tibi τὸ εὖ ζῆν gratus referrem acceptum. Itaque optimis me puerum praeceptis informare non destitisti; magistris in suo quibusque genere praestantissimis in disciplinam mature dedisti; neque ulli curae neque operae nec sumtibus pepercisti, id tantum cogitans, id agens, quî aliquando rei publicae et civibus commendatissimus esse possem. Mox vero adolescentem me liberalissime habuisti, vitam moresque provide regens; studia omni subsidio ornasti; Collegis Tuis,

Viris Clarissimis, Eruditissimis me commendasti, eorumque benevolentiam et amorem mihi conciliasti. Quorum Virorum, de me meisque studiis eximie meritorum, nomina quo minus ad grati animi testificationem publice hic commemorem, ipsorum voluntati obsecutus, aegre prohiberi me passus sum. Neque tamen eo magis illorum memoria ex animo meo umquam evanescet; quibus, dum vitae spatium in vegetam senectutem producant, quoniam verbis nunc quidem non licet, factis, quantopere devinctum sibi atque obstrictum me habeant, probare usque studebo. Sin vero pro humanae vitae nostraeque naturae ratione, maturior quaedam vis iuniori discipulo seniores amicos ac praeceptores eripuerit, etsi exstincti mihi tamen vivent, ut vivunt HAMAKERUS et REUVENSIUS, desideratissimi praeceptores, clarissima huius Academiae nuper lumina, quorum virtus exstincta non est, nec nobis solis versatur ante oculos, qui illam tamquam in manibus habuimus, sed etiam posteris erit clara et insignis.

Quidquid vero laudatissimis illis Viris debeam, quod quantum sit, intime sentio et gratus profiteor, ad Te tamen, Tuorumque, quae in

me collata sunt, benefactorum recordationem redire gestio. Neque enim in eo substitit Tuus in me animus et caritas, ut puero pater existeres amantissimus, adolescenti ad optima quaeque dux certissimus admonitorque fidelissimus; verum et iuveni, quantum in Te erat, viam munire non recusasti, qua, licet ad Academicorum studiorum metam nondum pervenissem, gravissimo muneri nec minus honorifico et iucundo admoverer. Denique his omnibus, quamquam erant maxima, cumulus tamen a Te inde accessit, quod non tantum pater filio reverendus amandusque esse voluisti, sed amicus amico diligendus; eâque amicitiâ, ut ille ait, prosperas res splendidiores mihi fecisti, adversas leviores. Quas ubi commemoro, non possunt meae menti sese non offerre crebra illa funera, quae luctuosam domum nostram afflixerunt. Verum is mihi fuisti, qui et matris et novercae, at matris instar pie colendae, amorem, et fratrum caritatem, et ESSII nostri curam, et vero coniunctissimi Collegae IACOBI TERPSTRA amicitiam mihi compensares, eorumque obitum etsi longe acerbissimum, leniorem tamen mihi redderes et tolerabiliorem.

Tuo igitur nomini hancce qualemcunque Dissertationem inscribendam putavi, quae etsi per se non satis digna videatur tot tantisque Tuis de me bene meritis, Tibi tamen prorsus iniucunda non erit, ubi eam habueris gratae meae mentis sincerique pectoris documentum. Quo autem maior mihi est tenuitatis meae conscientia, eo acrius intentiusque enitar, ut Tuae exspectationi aliqua saltem ex parte satisfaciam, bonâque nostrae gentis in optimis doctrinis famâ, quam ab Avo, Venerabili Viro, conditam, a Te confirmatam, frater THEODORUS, immaturo fato nobis ereptus, tueri felicissime coeperat, ne ego quidem nimis inferior reperiar. Vale.

L. B. d. 10. Ian. 1838.

PROOEMIUM.

In conscribenda hacce qualicumque Dissertatione quid mihi fuerit consilii, lectorem, faventem quem mihi exopto, nec severum iuvenilis opellae iudicem, paucis praemonendum existimo. Neque enim caeca tenuitatis inscitia, inanisve immaturos doctrinae fructus proferendi cupido ad scribendum me impulit, sed partim optimi Parentis aestumatissimorumque Praeceptorum exhortationes et vota incitarunt, partim lex Academica coëgit. Accessit intimum sinceri pectoris votum testificandi aliqua saltem ratione gratum erga viros tam praeclare de me meritos animum; quibus, si quid in his literis profecerim, id unice debeo referoque acceptum. Et, profecto, huic proposito si digne a me satisfactum putarem, abunde esset quod laetarer: nunc vero, si cui ausis excidisse videar, doctrinae laudem etsi tribuere gravetur aequus lector, industriae tamen ne veniam neget, etiam atque etiam rogo.

Ex quo tempore humanioribus literis operam navare incepi, mirifice semper mihi placuit Graecorum historia Atticaeque antiquitatis investigatio. Qui puer delectabar praecipue audiendo, quandocunque heroum, quos illa terra tot tantosque protulit, rerumque praeclare ab iis gestarum fieret commemoratio; dein Cornelium Nepotem avide perlegeram; postquam ad fontes aditus apertus fuit, quantum voluptatis perceperim e suavi Herodoti simplicitate, aut Thucydide de B. P. quodammodo bellicum canente (1), difficile dictu est. Crevit etiam illa ex Historicorum lectione percepta voluptas, Oratorum, Tragicorum Comicorumque commentatione, e quorum scriptis ea potissimum in meum usum convertere studui, quae pertinere videbantur ad vitam tum publicam tum privatam cultissimae antiqui aevi gentis accuratius cognoscendam meliusque diiudicandam.

---

(1) Cic. Orat. c. 12.

Aluit hanc mentem Boeckhii, viri in Germania celeberrimi, admonitio, quam quum legeram in initio Praefationis ad lib. de Oec. Civ. Athenn. (1), dicere vix possum, quantopere ea me incitaverit, ut bonarum literarum viam a patre mihi ostensam, ab eodem optimisque praeceptoribus stratam munitamque, pro virili fortius persequerer. Pergrata igitur mihi erat Cl. Promotoris exhortatio, quem simulatque adii, consulenti mihi de studiorum ratione optime instituenda auctor fuit, qua est insigni benevolentia promtoque discipulorum adiuvandorum animo, ut eiusmodi eligerem scribendi argumentum, in quo elaborando Historiae indagationem cum reliquorum scriptorum tractatione coniungerem. Neque in eo substitit V. C. humanitas, qui mihi suasit, ut, iterata Thucydidis lectione, ex illo Historicorum facile principe enotarem, quae per viginti unumque priores B. P. annos Graecis acciderint adversa et prospera; deinde reliquorum scriptorum testimonia apponerem; nonnulla denique de literarum per illa tempora adiicerem historia.

Erunt fortasse, qui hunc libellum, brevi post editos Clintoni Fastos Hellenicos (2) scriptum, intempestivum vocent. Haec ipsa fuit causa, quae opus adgredientem me retardavit aliquamdiu: probe enim sciebam, fore ut merito importunus haberer, si hacce opella praeclaro illi operi quidquam detractum voluisse viderer. Animadvertamus autem Clintonum, quum maiorem Graecae historiae ambitum complectatur, singulas res non nisi leviter attingere potuisse, quin etiam nonnulla omittere debuisse, quorum accuratior expositio Cl. Viri consilio quidem minus conveniret, scitu vero non prorsus indigna sint. Etiam illud meminerint aequi lectores, huiusmodi disputatione illud potissimum spectari, ut specimen exhibeatur profectuum, quos in literarum studiis fecerit scriptor: non vero, ut novi quid ac reconditi cum eruditioribus communicetur. Itaque hanc mihi legem scripsi, ut, quae a Clintono uberius illustrata essent, a me non nisi strictim commemorarentur; quae vero ille pro suo consilio omisisset aut levius adumbrasset, equidem accuratius tractanda sumerem; errores denique, sicubi, pro humana imbecillitate, irrepsisse viderentur, modeste indicati, quantum liceret, emendarentur.

Praeter Clintonum in eamdem hanc arenam descenderant, ne de Scaligeri *συναγωγῇ ἱστορικῇ*, Petavii Rationario, Marshami Simsonique Chronicis dicamus, duo viri celeberrimi, alter Clintoni popularis Dodwellus; alter Italus, Corsinus: quorum ille condendis Annalibus (3) primus viam monstravit, qua res B. P. gestas, ducibus Thucydide ac Xenophonte, suis temporibus adsignari oporteret; hic in Fastis Atticis (4) rerum

---

(1) A. BOECKH., *die Staatshaushaltung der Athener*, etc. II. Berl. 1817. 8°.

(2) H. CLINTONIS. Fasti Hellenici, civiles et litterarias Graecorum res explicantes. Ex alt. Angl. Exemp. Ed. conversi a C. G. KRUEGERO. Lips. 1830. 4°. (Latinae versionis, qua usus sum, non nisi primum volumen hucdum prodiit.)

(3) Annales Thucydidei. Praemittitur apparatus, cum vitae Thucydidis Synopsi Chronologica; ab H. DODWELLO. (In Thuc. Edd. saepius repetiti.)

(4) Fasti Attici etc. auctore E. CORSINO. Tom. IV. Florent. 1751. 4°.

gestarum narrationem perpetuam cum literariae historiae mentione coniunxit. In eo in primis bene meruit Corsinus, quod emendatiorem Archontum, Olympionicarum, inque ceteris ludis victorum indicem confecit, quamquam multum hac in re adiutus eruditis Wesselingii ad Diod. Sic. annotationibus; quae quanti pretii hodieque sint aestimandae, sensit nec dissimulavit Clint. in Prooemio p. 12. Hi viri quantum singuli praestiterint, iudicare meum non est; id tamen grato pectore praedicandum, omnibus haud parum me debere.

Relecto igitur Thucydide, quem summo iure omnes harum rerum periti primarium fontem habent, ex illius de B. P. commentariis praecipuas res isto bello gestas enotare coepi, inque tabulas ad sua quaeque tempora referre. Quo facto, ad Diodori Siculi me converti Bibliothecam, qua rarius usus est Clintonus, nec fere nisi ubi de Archontum nominibus exponit; equidem, quamquam non nescius, quam graviter scriptor in computandis temporibus errare soleat, tamen non ita contemnendum putaverim, quippe qui easdem res uno tenore persecutus sit, neque omnia sua e solo Thucydide hauserit, sed ex Ephoro, Theopompo, ceteris, multum profecerit. Hinc igitur annotata supplevi, Archontum seriem Wesselingio potissimum duce concinnavi. Excepit Diodorum Plutarchus, quo veteris historiae peritiorem quemquam vix inveneris, quamquam et ipsum in temporibus constituendis paulo negligentiorem: sed multum tamen hic nobis profuit in primis utraque, tum Alcibiadis, tum Niciae vita. Quibus tamquam fundamento disquisitioni substratis, ad reliquos scriptores me contuli aetate propiores, Graecos maxime, non tamen prorsus neglectis, quae ex Latinis in meum usum congeri poterant. Oratorum Platonisque lectio plus attulit utilitatis privatis studiis, quam ut multa ex iis (Andocidem si excipias), quae ad nostrum institutum pertinerent, colligere licuerit. Plura dabant Comici, Aristophanes praecipue, cuius comoediae vix satis legantur, si internam Atticae civitatis conditionem, celebriumque virorum, aut eorum, quos ater lapis notarat, indolem penitus cognoscere velis. Nec, profecto, omittendae Inscriptionum Syllogae, quae quum ultimo loco hic a me commemorantur, lectorem rogo, ne putet id a me ideo fieri, quasi de pretio istis monumentis tribuendo quidquam detractum velim; ipsaque ad ista lectionis subsidia veluti releganda censeam, quibus, etsi omni utilitate non destitutis, facilius tamen careas. A qua temeritate prorsus alienum me sentio: quin potius optare soleo, fore ut aliquando usu experiar, quam vere dixerit Lennepius V. C., in Boeckhiani Operis censura (1): »horum tractatione monumentorum iuvenes insigniter proficere posse etiam ad rerum scientiam." Atque eo maioris quidem aestimanda dixerim publica mo-

(1) Invenitur illa censura in Bibl. Crit. Nova. Vol. III. p. 1 sqq. Boeckhiani operis titulus hic est: Corpus Inscriptionum Graecarum. Aucteritate et Impensis Classis Hist. et Philol. Acad. Lit. Boruss. ed. A. BOECKHIUS. Berol. 1825. f m. Eodem fere tempore F. OSANNUS edendam curavit: Inscriptionum Antiquarum Graecarum et Latinarum Syllogen. Lips. 1823-1834.

numenta, quae nobis e primis B. P. temporibus supersunt, quo minor est eorum hominum numerus, qui dum ipsis rebus, quae tunc gerebantur, interfuerunt, scripto eas consignarunt. E quibus superstites Thucydides et Aristophanes, alter, unicus fere testis de externa Athenarum conditione, alter, aliis laudibus ornatissimus, historica vero fide non aeque florens, quin plurimum lucis ex publicis istis monumentis accepturi sint, nemo facile dubitabit. Ego vero, cui nonnisi obiter Boeckhianum Corpus perlustrare contigit, ne praeclarum illud adiumentum prorsus neglexisse viderer, paucis quidem hic monendum putavi: at suo loco, in Fontibus non indicavi, quoniam eo nondum pro sua dignitate me usum fuisse, confitendum erat.

Crevit autem sensim annotationis quaedam silva ad temporum ordinem digesta, quae haud parvam scribendi materiem praeberet. At, quod praevideram, plurima occupaverat Clintoni, quem tum demum adieram, diligentia. Seligenda igitur erant, quae post Cl. viri operam non prorsus supervacanea viderentur; neque alienus eram a scribendis observationibus ad singulos Clintoni locos, qui mihi ulteriori explicatione subinde et emendatione egere viderentur. Reieci tamen illud consilium, monente Promotore aest. fragmentariam (sit verbo venia!) inde exstituram disputationem, animumque appuli ad perpetuam annotationem scribendam; quam ob rem etiam uberiorem Corsini de his rebus agendi rationem Clintonianae praetuli. Nec parum molestum mihi fuit, quod plurima a Clintono memorata mihi retractanda erant; ut, si de rebus maioris momenti uberius egisset Vir Doct., mihi, nisi aliis verbis, quae prior memorasset, repetere vellem, quod putidum, nihil fere superesset, quod alicuius momenti videretur. Itaque ne magna observaretur in mea scriptione inaequalitas, quum de gravissimis rebus, paucis saepe verbis, de levioribus uberius diceretur, etsi cuperem, evitare tamen non potui; in quo potissimum lectoris benevolentiam imploro.

Fuit quum dubitarem, utrum Dodwelli an Clintoni annorum describendorum rationem praeferrem: prior magis placebat, utpote convenientior Thucydideae aestatum hiemumque recensendarum consuetudini, ad quam igitur aptissime relaturus videbar de rebus B. P. memorabilibus annotationem; idque in primis quod Tragicorum Comicorumque dramata plerumque versus hiemis finem doceri solita, in exeuntem incidunt Thucydideum annum. Reputanti vero mihi, meam scriptionem in lucem vocatam esse a Clintono Fastos suos edente, huic me addicere visum est. Annorum igitur initium a Ianuario Iulianeo computandum censui; ita tamen, ut, quae hiemis tempore gesta tradit Thucydides, interdum non nisi dubitanter priori anno exeunti, vel posteriori ineunti, a me tributa fuerint.

Cuius rei mentio optimam nobis praebet occasionem de Dodwello pauca adiiciendi. Hunc enim eruditissimum sagacissimumque temporum indagatorem quo minus omnes, qui hac in re tantillum operae posuerint, summa prosequantur admiratione, nemo

umquam prohibebit. Negari tamen non potest, Virum Celeberrimum subinde nimis indulsisse ingenii subtilitati, qua sibi videbatur intricatas quaestiones satis explicuisse, immo profligasse, quae tamen minime omni molestia essent immunes. Nec minus audax fuit in iis definiendis, quae nullo, aut perexiguae auctoritatis testimonio confirmarentur. Quin etiam plus semel disertis antiquorum scriptorum verbis, quod suae coniecturae repugnent, omnem fidem negat. Inde factum est, ut, quum primum Dodwelli annales cum meis tabulis conferrem, eximiam viri diligentiam admirarer, qua plerumque ipsum diem computando reperisse sibi videbatur: brevi tamen animadverterem, haud pauca in istis computationibus inveniri, quae vel audaciora, vel etiam sibi contraria reperiantur. Itaque in ipso die definiendo cautius agendum: nec semper hunc Iulianei anni diem indicari posse crediderim. Certius definiri potest ipse dies, quo e mente Thucydidis cuiusque anni aestates hiemesque incepisse censendae sint. Nam postquam Meton Ol. LXXXVII. 1. A. C. n. 432. *Ἐννεακαιδεκαετηρίδα* instituit, Athenienses Astronomi Calendario usi sunt tam publice, quam privatim. Conf. Idelerus (1) in Enchiridio Chronologiae, Tom. I. p. 316., cui adsentiuntur Boeckhius l. l. II. p. 182. et plerique, de quibus comperi, nostra aetate viri docti. Idem sensit Dodwellus, idoneisque argumentis, e solis lunaeque defectibus petitis probavit, Thucydidem Metonis aera usum fuisse; ut, post intercalarem mensem Posideonem II., Elaphebolionis mensis initio aestas ex huius sententia inceperit, ad Boëdromionis finem usque pertinens. Quae tamen celeberrimi viri sententia, ut videatur ad veritatem proxime accedere, tamen omni dubitatione haud vacat; nec dissimulavi, quas mihi creaverit molestias. (conf. ad. a. 423. 421.) Iisdem ex parte animadversis permoveri se passus est Ullrichius (2), ut totam Dodwelli doctrinam damnaret, Thucydidisque aestates hiemesque a vernali auctumnalique aequinoctio computandos censeret. Sed quum alia sunt, quae in Ullrichii disputatione improbanda putem; nec tamen uberius ea nunc quidem refutare licet, quia iste libellus ad me allatus est, quum iam occuparentur operae in describenda hac mea scriptione: tum maxime in eo desidero iustam Thucydideae vocis *θέρος* notionem, quam cum *ἦρι* confudisse videtur. Unum igitur sufficiat citasse locum Thuc. V. 40., qui primus mihi sub oculos venit, et Doct. Viri de Thucydidea aestate opinioni haud parum obstat. Quis enim molestam ferat *ταυτολογίαν*, et aliis locis et hic obviam: *ἅμα τῷ ἦρι εὐθὺς τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους*, collatis in primis quae praecesserant (c. 39.): *τοῦ χειμῶνος τελευτῶντος ἤδη καὶ πρὸς ἔαρ*, si *ver semper aestati* tributum fuerit? At idem hic locus Dodwelli rationes confirmat quam maxime; quandoquidem propter Embolimaeum mensem, qui antecesserat, iniens aestas ab Elaphebolione erat computanda. Nec minus

(1) L. Ideler, *Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie*. II. Berl. 1825. 8°.

(2) Quaest. Aristoph. Spec. I. Hamb. 1832. p. 6. n. 12.

hoc valet de altero, quem citavit, loco VII. 19.; qui, quum ad a. 413. pertineat, et ipse de Elaphebolionis initio est accipiendus. Contra ea a. 428. *τὸ ἔαρ* Thucydidea aestate prior fuit. (Thuc. II. 103.) Neque omittendum, quod lib. III. c. 116. post verba: *περὶ αὐτὸ τὸ ἔαρ*, mox legatur: *ταῦτα μὲν κατὰ τὸν χειμῶνα τοῦτον ἐγένετο.* Quare illud Ullrichius effecisse mihi videtur, ut quasdam dubitationes, nec sane negligendas eas, contra Dodwelli rationem movisse dicendus sit, quae tamen alia prorsus ratione, quam qua ipse usus est, solvendae videantur. Nec dubitavi Thucydidis narrationem ad Metonis *Ἐννεακαιδεκαετηρίδα* redigere, quam quum a die 16 Aug. a. 432. computaverit Astronomus, cuiusvis Attici anni dies quisque cum Iulianeo comparari poterit. Id tamen monendum, discrimen unius duorumve dierum hic illic inter Dodwelli meamque definitionem observari, inde explicandum, quod Ideleri de mensibus exemtilibus doctrinam, a Dodwelli sententia nonnihil discrepantem secutus, meas tabulas ad illius normam confeci.

Quod ad alteram Disputationis partem, de literariis rebus, attinet; ea potissimum in censum vocanda existimavi, quae nonnihil conferre videbantur ad earum *historiam* aliqua ex parte illustrandam. Itaque, quae de his rebus conscripsi, spectant, quum clariorum quorumdam Oratorum, Demagogorum, Philosophorum fata, tum Dramatum didascalias, inque iis rerum civilium, quae factae sunt significationes. Sed multa hic abesse, quae, si absoluti quid quaeras, fortassis exspectes, quisque facile intelliget, qui secum reputaverit, Atticae scenae historiam iis premi molestiis, quae vel peritissimos Antiquitatis interpretes morentur. Illa historia ut rite aliquando illustretur, opus est, ut prius omnium, quae supersunt, fragmentorum quasi corpus colligatur, quo usi Meinekii, Seidleri aliique horum similes, imaginem nobis exhibeant privatae domesticaeque Atticorum vitae, et in medias eorum res aditum aperiant.

SPECIMEN HISTORICO-LITERARIUM INAUGURALE,

EXHIBENS

AD THUCYDIDEAM BELLI PELOPONNESII EPOCHAM

ANNOTATIONEM.

A. C. n. 431. Ol. LXXXVII.

1. PYTHODORUS.
2. EUTHYDEMUS.

Plataeas adoriuntur Thebani extremo mense Munychione. Thuc. II. 2. — Unum si quis miretur Thucydidem hic a nobis afferri, omissis Diodori Demosthenisque locis, e quibus de Plataearum invasione nonnulla enotari possint; observet, velim, non nisi paucis, ac velut in transcursu, de rebus B. P. *initio* gestis, in hacce Dissertatione agi; quippe quas in Commentationibus de Periclis vita, ab amicissimo Bootio et me ipso nuper editis (1), uberius tractatas videre liceat. Neque esset fortasse quod hic addendum putarem, nisi post scriptam illam Commentationem mihi innotuisset praeclarus Popponis Commentarius, e quo, ut multa alia, ita et nonnullos Vett. Scriptorum locos a me omissos esse comperi. De Plataearum igitur oppugnatione etiam conferantur Aeneas Poliorcet. c. 2. Theo, Progymn. c. 4. — Kruegeri vero ad Clintonum annotationem, in Popponiano Commentario descriptam, qua de causa minus necessariam putem, in Comm. cit. *Obs. XXXVI.* dictum est.

(1) Insertae sunt hae Commentationes Annalibus Acad. Traiect. 1833-1834.

Dodwelli opinionem, ἱερομηνίαν, qua Plataeae captae esse perhibentur, oportere esse ἕνην καὶ νέαν, multi interpretes amplexi sunt, Poppone vero monente, hac de re nihil certi statui posse, quum vocabuli ἱερομηνία notio latius pateat. Quod autem Goellerus, qui frustra a Dukero monitus, ἱερομηνίαν, νουμηνίαν intelligit, eumque secutus Bloomfieldius ad Thuc. III. 56. contendunt: quae postrema mensis nocte incepta sit aggressio, primo die proximi mensis continuatam eam et finitam esse; eaque ratione, quae τελευτῶντος τοῦ μηνός (Thuc. II. 4) gesta sint, νουμηνίᾳ gesta dici potuisse: non satis attendisse videntur viri Doct. Graecorum ab hodierna diversam dierum noctiumque discernendarum rationem. Quum enim nos civilis diei initium a nocte media ad mediam noctem computare soleamus, Graeci illud a solis occasu ad occasum ponebant; quod satis apparet e locis Vett. Scriptt. quos citat Idelerus l. l. I. p. 80. coll. 100. et 279. Neque obstat, quod monet Droysenus, in Mus. Rhen. III. 2. p. 164., eamdem noctem, quae a Plut. Alcib. c. 20. ἕνη καὶ νέα vocata sit, νουμηνίαν a Diod. XIII. 2. dictam esse. Plutarchus enim Romanorum more dies noctesque discrevit. (Conf. Quaestt. Rom. 82. p. 284. C. E.) At, quum Diodorus Graecorum consuetudinem religiose observandam putaverit, quis Thucydidem in tali re negligentiorem dicat?

De irruptione in Atticam octoginta (nisi in numeris sit error) diebus post Plataearum oppugnationem, proinde mense Hecatombaeone, facta, conf. Clint. Quae de solis defectu, die 3. Augusti observato, nuper dixi, confirmantur iis, quae leguntur apud Interpretes ad Thuc. II. 28., Idelerum lib. l. I. p. 280., et Heisium in Disquis. de Eclipsibus B. P. tempore observatis. p. 6. sqq. (1).

Memoravit Clintonus Atheniensium in Megaridem incursionem: omisit maritimas expeditiones, quas Athenienses hoc anno, Carcino, Cleopompo et Pericle ducibus susceperunt; de quibus conf. Comm. cit., ubi eas *post* Peloponnesiorum in Atticam irruptionem, sed *ante* Atticorum in Megaridem invasionem, susceptas fuisse ostendimus.

---

(1) Heisii Commentatio, cui titulus: *Die Finsternisse während des peloponnesischen Krieges*, inserta est Programmati, quo auctumnalis Examinis in Regio Gymnasio instituendi solennia indicuntur. Coloniae 1834. 4°. E Doctissimi viri verbis haec apposuisse iuvat: *Diese Finsterniss, ereignete sich im ersten Jahre des peloponnesischen Krieges. Es ist dieses die nämliche Finsterniss, welche Plutarch im Leben des Perikles* (cap. 34.) *erwähnt. Irrthümlich setzt Plutarch diese Begebenheit ein Jahr später als Thucydides. Stellt man die in der letzten Hälfte des 5. Jahrhunderts vor Christus eingetretenen Sonnenfinsternisse, welche man durch eine leichte, den genauen astronomischen Untersuchungen vorangehende, Rechnung den Hauptumständen nach beiläufig angeben kann, zusammen; und sondert man 1) diejenigen, welche nicht in den Sommer fallen, 2) diejenigen, die für Athens Horizont nicht sichtbar sind, 3) die nicht am Nachmittag eingetretenen, und 4) die gar zu kleinen; so bleibt nur die* EINZIGE, AM 3 AUGUST 431 VOR CHRISTUS *statt gehabte, übrig, die um so mehr als mit der von Thucydides erwähnten identisch angenommen werden muss, da den nach 7, 18, 25, 27 Jahren historisch angeführten Finsternissen eben so viele astronomisch bestimmte Finsternisse vollkommen entsprechen.* Qua ratione Plutarchus quodammodo excusari possit, vide apud c. Sintenisium ad Plut. Periclem. c. 35. n. 10.

Minus recte Anaxagorae accusatio a Clintono ad Archontem Pythodorum refertur. Diodori locus XII. 39., quem ipse citavit, meliora docet. Quodsi Clintonus forte putaverit, Aspasiae Anaxagoraeque accusationes haud longius a Phidia in ius vocato removendas esse, notissimi tamen Aristophanis versus (Pac. 586. Bekk.) abunde probant, *unum* Phidiam *ante* B. P. in ius vocatum fuisse. Aspasiae vero Anaxagoraeque nulla ibi mentio invenitur, ut statuere possimus, horum accusationes post hostium irruptionem demum institutas fuisse, Pericle variis occupationibus distracto, ac propter obsidionem minus grato apud populum. Conf. Comm. cit. *Obs. XXXIX*, et vero in primis Schaubachius de Anaxag. p. 47. sq. (1).

Didascalica nota, quae in Medeae argumento invenitur, hanc Euripidis tragoediam Pythodoro Archonte in scenam productam fuisse testatur. Vicit Euphorion (2); secundas tulit Sophocles (3); tertias Euripides; Medea, Philoctete, Dictye et Messoribus. Hae fabulae, etiamsi a poeta consociatae, singulae tamen diversum a ceteris argumentum habuisse videntur. Sed animadvertenda sunt Hermanni verba, quae in Diss. leguntur, quam scripsit de Compositione Tetralogiarum, p. 4. et 13. (4); »quae nobis de Philoctete et Dictye nota sunt, non sufficere, ut quam similes illae Medeae aut dissimiles fuerint, coniicere possimus" (5). Quapropter non nisi de Medea nonnulla hic a me adiicientur.

Imitatus est Euripides in hoc dramate, numerorum puritate insigni (6), Calliae (7) Comoediam, *Γραμματικῆς Τραγῳδίας* vel *Θεωρίας* titulo inscriptam, testante Athenaeo locis a Clintono citatis. Eam autem imitationem in choris constituendis conspici, eosque, quod primaria tragoediae pars habebantur, *τὴν Μήδειαν πᾶσαν* ab Athenaeo dici potuisse, docet idem Hermannus in Diss., Solemnibus Magistrorum creandorum indicendis, Lipsiae scripta a. 1807 (8). Neque aliam olim Boeckhius sententiam prodiderat in libro, quem de Tragg. Gr. edidit (9) p. 86. sqq.; ubi summo Critico prorsus adsentiens

---

(1) Anaxagorae Clazomenii Fragmenta: coll. illustr. ab E. SCHAUBACHIO etc. Lips. 1827. 8°. Quaestionem de aetate qua Anaxagoras Athenas advenerit, nunc quidem retractare nolui. Quae vero sit causa, cur Clintono, Anaxagoram *iterum* Athenas venisse censenti, adsentiri nequeam, indicent vett. scriptt. loci a Schaubachio laudati p. 14.

(2) De eo vide, quae contra Boeckhium, loco a Kruegero ad Clint. laudato, disputat G. HERMANNUS in Diss. II. de Choro Eumenidum: Opuscc. II. p 157 sq.

(3) An vero edito Oedipo Coloneo, quod vult LACHMANNUS in Mus. Rhen. I. 4. p. 313. sqq., equidem haud affirmaverim. Sed conf. ad a. seq. et 429.

(4) Opuscc. II. p. 303. 317.

(5) Cff. Eurip. Fragmm. quae editioni subiunxit A. MATTHIAE, Tom. IX. p. 153. sqq. 275. sqq. VALCKENARII Diatribe in Eur. Fragmm. c. II. p. 117. sqq.

(6) Conf. HERMANNI adnott. ad Medeam ab Elmsleio curatam. Opuscc. III. p. 148. sq.

(7) Vid. A. MEINEKII Quaestt. Scen. II. p. 50.

(8) Opuscc. I. p. 129. sqq. in primis p. 137. sqq.

(9) Graecae Tragoediae principum, Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, num ea, quae supersunt, et genuina omnia sint, et forma primitiva servata, an eorum familiis aliquid debeat ex iis tribui? scripsit A. BOECKHIUS. Heidelb. 1808.

vir celeberrimus, haec verba Hermanni descripsit: »ista personarum descriptione ad Calliae exemplum conformata, carmen multo fieri praestabilius, quum personis ita per vices ista dicentibus maius chori studium, maiorque motus declaretur." Eamdem tamen opinionem celeberrimo viro postea minus probatam fuisse, cognoscitur e Museo Rhenano I. p. 137. not. Nec probat Welckerus l. l., cuius tamen de Calliae Abecedario suspiciones vereor ne reiiciendae sint.

Altera est quaestio: quis primus hanc tragoediam docuerit? Quae enim leguntur apud argumenti scriptorem: *Τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι, γενναιοφρόνως διασκευάσας, ὡς Δικαίαρχός τε περὶ τοῦ Ἑλλάδος βίου* (1) *καὶ Ἀριστοτέλης ἐν Ὑπομνήμασιν·* e Cod. Flor. ita correxit Elmsleius, ut *παρὰ Νέοφρονος διασκευάσας*, legendum iuberet; summopere probante Hermanno, in ann. ad Medeam a doct. Anglo editam (2). Idem autem Hermannus l. l. p. 256. sq. de duplici Medeae recensione quaestionem vocat admodum lubricam propter diversas virorum doctorum opiniones de eo, quod in correcta fabula mutatum fuerit. Ipse autem eorum sententiae adhaeret, qui cum Porsono (ad vs. 300. et 1314.), fabulae correctionem fere in dictione expolienda constitisse putant; Boeckhii certe, Wolperi et Boettigeri (3), totam fabulae compositionem mutatam fuisse statuentium, excogitata reiicit vir cel.

Quodsi Porsoni de vs. 300. sententia, cui tamen Hermannus non multum, Matthiaeus nihil fere tribuunt, videatur admittenda, tempus iteratae editionis definiri poterit, idque constituendum erit post Ol. XCII. 1. A. C. 411.; quo anno Aristophanes, Thesmophoriazusas in scenam producens, vocem *σοφά* riserit, eoque Euripidem permoverit, ut eam in *ἔπη* mutaret. Conf. tamen Rankium, in Comm. de Aristoph. Vita, p. 277. not. 17.

Ceterum, Medeam primo B. P. tempore doctam fuisse, probant rerum politicarum significationes. Quas inter Hermannus vs. 225. (218. Elmsl.) sq. memorabiles vocat, quippe quibus Cleon indicetur. Vix tamen cuivis persuaserit vir summus, Cleonem »tum maxime cives incommodasse," quo tempore ipsis vix innotuerat. Ipsi tamen Euripidis versus Cleonis ingenium ad vivum depingunt, eodemque fere tempore ab Hermippo Comico vocabatur *αἴθων*, in qua voce nonnulli quaesiverunt notissimi Homerici versus (Odyss. A. 184.) parodiam, ut ostendit C. Sintenisius ad Plut. Per. c. 33. fin.

---

(1) De Dicaearcho, eiusque Operibus, quae inscribuntur *Βίος Ἑλλάδος* et *Ἀναγραφὴ Ἑλλάδος* nuper scripsit A. BUTTMANN, qui huic quoque fragmento suum locum addixit, nulla tamen explicatione addita. Vid. p. 39. coll. p. 9.

(2) Opuscc. III. p. 148. Neophronem antiquiorem poëtam negat Matth. in ann. ad argm. Tom. VI. p. 420. sq.

(3) Conf. BOECKH. de Tragg. p. 164. sqq. BOETTIGERIque, Prolusio I. de Medea, p. 8. not. Opuscc. I. p. 368. WOLPERI libellum inspicere non licuit.

Neque omittendi videntur vss. 119. sqq.

Δεινὰ τυράννων λήματα, καί πως
'Ολίγ' ἀρχόμενοι, πολλὰ κρατοῦντες,
Χαλεπῶς ὀργὰς μεταβάλλουσιν.

quos simulac quis legerit, continuo ipsi in mentem veniant, necesse est, turbae ac molitiones, et vel vehementissimum illud bellum, quae ortum ceperunt ex odio, quod in Peloponnesios ac Megarenses in primis conceperat summus Atticarum rerum arbiter, Pericles.

A. C. n. 430. Ol. LXXXVII.

2. EUTHYDEMUS.
3. APOLLODORUS.

Praeter alteram in Atheniensium agros irruptionem ingruentemque pestilentiam (1), Clintono memoranda erat altera Periclis in Peloponnesum expeditio. Neque omittenda, quae Hagnone et Cleopompo ducibus suscepta est medio fere mense Thargelione. Quibus imperatoribus post quadraginta dies extremo Scirophorione reversis, re male gesta in Chalcidice et ad Potidaeam, Pericles in populi favorem, quo paulo ante prorsus exciderat, restituitur eique Strategi munus denuo defertur.

Posteriori anni parti addicenda Lacedaemoniorum adversus Zacynthios irrita expeditio. Contra Ambraciotas proficiscuntur Athenienses duce Phormione, a quo urbs Argos Amphilochicum, quam Acarnanibus eripuerant Ambraciotae, recuperatur incolisque red-

(1) De Hippocrate, pestilentiae tempore Athenis degente, ACKERMANNI sententiam protulimus in Comm. cit. *Obs. XLII.* Eadem esse videtur C. A. SCHOENCKII opinio, quam cognovi e Popponis Praefandis de Pestilentia, partis III. tomo II. insertis. Non reperitur ibi locus Plutarchi de Isid. et Osir. c. 80. p. 383. D. *Ἄκρωνα γοῦν τὸν ἰατρὸν ἐν Ἀθήναις ὑπὸ τὸν μέγαν λοιμὸν εὐδοκιμῆσαι λέγουσι, πῦρ κελεύοντα παρακαίειν τοῖς νοσοῦσιν· ὤνησε γὰρ οὐκ ὀλίγους:* quem locum si contuleris cum iis, quae ex Aëtio p. 91., et Galeno de Ther. ad Pis. tom. II. p. 467., a Schoenckio allata sunt, non dubium erit, quin illud ab Acrone factum postea a Medicis in Hippocratem, cuius socium profitebantur, collatum fuerit.

ditur. Eodem fere tempore levi clade afficiuntur Athenienses in Lycia, ad quam Melesander appulerat. Denique et hic memorandi legati, quos a Lacedaemoniis ad Regem missos, Athenienses paulo ante haec tempora interceperant, mox interfecerunt. Quae quidem omnia pluribus veterum scriptorum testimoniis confirmata videas in Comm. cit. ad h. a.

Humaniora bonarumque artium studia in tanto armorum strepitu non prorsus siluerunt. Plus semel sonuit Pericleum illud os, laudes eorum celebrantis, qui pro patria mortem oppetiverant, seseque coram populo defendentis. Conf. Comm. *Obs. LX.* coll. Sect. II. § 3. De fabulis hoc anno doctis incertior res est. Clintonus huc refert fragmentum Hermippi apud Plut. Pericl. cap. 33. Neque aliter sensisse videtur Meinekius, Q. S. I. p. 30. sq., ubi hos versus desumtos putavit ex fabula, *Μοῖραι* inscripta, quam probabiliter actam statuit quo tempore Peloponnesii primum Atticam invaserunt. Conf. Sintenisius l. l.

Praestat autem silere, quam pauca, neque illa satis accurate exposita, dicere de lite, quam de Sophoclis fabula, Oedipo Coloneo, Reisigio Boeckhius intendit; plures deinceps viri docti, in quibus Lachmannus et Suevernius, continuarunt (1); nemo tamen ita diremisse videtur, ut adversario nihil admodum supersit, quod probabiliter opponat (2). Quae quidem me doctioribus indaganda relinquenti, veniam mihi daturum spero benevolum lectorem, qui secum reputet, nostrae Dissertationis speciminis loco conscriptae consilio minus accommodatam esse intricatae, ne doctissimis quidem viris satis perspectae, quaestionis pertractationem, nedum diiudicationem.

---

(1) Cff. Reisigii Enarr. p. vii. sqq. Boeckhii Ind. lectt. Berol. aest. 1826. p. 4. quos libros frustra mihi comparare studui. Porro Lachmannus in Mus. Rhen. I. 4. p. 313. sqq. et Suevernius in Comm. Acad. Berol. 1828. Vide et Rakium, Promotorem aest., in Hermannianae Oedipi Colonei editionis censura, quae legitur in Bibl. Crit. Nov. I. p. 1. sqq.

(2) Reisigio adstipulatur discipulus C. F. Rankius, de Aristophanis vita, p. 279. : Boeckhio C. F. Hermannus, in Dissert. de Sophoclis Oedipo, inserta Annall. Phil. et Paedag. (*N. Jahrbücher für Philologie und Paedagogik, herausgegeben von* G. Seebode, J. C. Jahn *und* R. Klotz.) Suppl. III. p. 2. 1835.

A. C. n. 429. Ol. LXXXVII.

3. APOLLODORUS.
4. EPAMINO (1).

Potidaeam expugnatam Clintonus minus recte, uti nobis quidem videtur, collocat ante Munychionis finem, quum tamen illa urbs iam sub Anthesterionis finem Atheniensibus dedita sit. Probatur hoc ex ipso Thucydidis loco, quem Clint. attulit (II. 70.). Verbis enim *τὸ ἔτος ἐτελεύτα* plerumque Elaphebolionis finis indicatur, numquam Munychionis. Sin autem antecesserit mensis intercalaris Posideon II., quod hoc anno accidit, illa verba de Anthesterione exeunte intelligenda sunt (1).

Nulla fuit hoc anno in Atticam impressio Peloponnesiorum; qui Plataeas aggressi sunt, (cff. ll. ll. in Comm. cit. *Obs. XLII.*) et quidem ineunte Scirophorione, si Dodwelli computationem sequaris, perversa argumentatione nixam; quod iam videamus. Archidamus, quo duce Peloponnesii urbem adoriebantur, Plataeensibus, qui statim post eius adventum legatos ad eum miserant, paucos dies concessit, per quos Athenas mitterentur legati de pace deliberaturi. Qui quum rediissent, a Plataeensibus decretum est, nullam facere cum Peloponnesiis compositionem. Urbs coepit tum circumvallari, variisque machinationibus oppugnari, in quibus fuit agger ad urbem ductus (*χῶμα ἔχουν πρὸς τὴν πόλιν* Thuc. II. 75.), cui congerendo exercitus septuaginta dies noctesque impendit. Quum vero *αἵ τε μηχαναὶ οὐδὲν ὠφέλουν καὶ τῷ χώματι τὸ ἀντιτείχισμα ἐγίγνετο*, (c. 77. initio), nec melius Peloponnesiis cessisset incendendi oppidi conatus, intellexerunt, arborum circumvallationem (*περισταύρωμα*) ad obsidendam urbem haud sufficere. Itaque Plataeas muro, ex lateribus (*πλίνθοις*) aedificato, duplicique fossa cinxerunt; nec prius abierunt quam *πᾶν ἐξείργαστο*. Dodwelli autem error in eo cernitur, quod posteriorem hunc murum cum aggere, septuaginta dierum spatio exstructo, confudit. Tempore igitur indicato, quo Peloponnesii Plataeis recesserint, septuaginta dies retro computans, vigesimum tertium Scirophorionis diem reperisse sibi visus est, quo legatis reversis urbs machinationibus tentari coeperit. Sed verba *ἐπειδὴ πᾶν ἐξείργαστο περὶ Ἀρκτούρου ἐπιτολάς, καταλιπόντες..... ἀνεχώρησαν τῷ στρατῷ, καὶ διελύθησαν κατὰ πόλεις* (cap. 78.), minime ad illa pertinent, quae initio capitis leguntur: *μέρος μέν τι καταλιπόντες τοῦ*

(1) In magna VV. DD. dissensione de scribendo huius Archontis nomine, admittendam puto Palmerii sententiam, quatenus ei, a Wesselingio ad Diod. XII. 46. quodammodo mutatae, Corsinus et Clintonus adhaerent.

(2) Conf. Prooem. p. 5.

στρατοπέδου, κ. τ. έ. Sed Peloponnesii primum aliquam exercitus partem dimiserunt post infelices oppidi incendendi conatus; deinde vero, munitione lapidea confecta, quod profecto haud paucorum dierum opus fuit, custodibusque cum Boeotis relictis qui Plataeenses observarent, Peloponnesii in suas sedes singuli abierunt. Illis igitur septuaginta diebus, quorum tantum rationem habuit Dodwellus, multi sunt addendi, ut ipse dies, quo Plataeas aggressi fuerint Peloponnesii, incertus, tempore vero a Dodwello indicato longe prior fuerit. Animadvertendum porro, Thucydidem nequaquam significare, *eodem*, in quem incidant Arcturi *ἐπιτολαί*, die Plataeis discessisse Peloponnesios. Denique, de ipso tempore, quo hicce Arcturi heliacus ortus a Veteribus collocatus fuerit, magna est VV. DD. dissensio. Incidebat, teste Plinio, Hist. Nat. II. 47. (1), in undecimum diem ante auctumnale Aequinoctium. Dodwellus igitur Arcturi ortum decimo tertio Septembris posuit: alii aliam sequuntur computandi rationem, intra illum diem vigesimumque fluctuantes. Quin Gailius, haud dubie male, primo Septembris die, Scholiastes Thuc. non melius Octobri mense, oriri statuunt. Conff. Poppo ad Thuc. l. l. Boeckhius in Oec. Civ. I. p. 151. Idelerus in l. l. I. p. 247., diem 18. Sept. ponit.

Dum circa Plataeas versabantur Peloponnesii, Athenienses adversus Chalcidenses in Thracia habitantes, *ἀκμάζοντος τοῦ σίτου* (conf. ad a. seq.), Potidaea profecti sunt ducibus Xenophonte Euripidis filio, Phanomacho et Calliade. Magna autem clade affectus exercitus, caesis imperatoribus, aegre se Potidaeam recepit. Thuc. II. 79. Diod. Sic. XII. 47. Plut. in Nic. c. 6. p. 526. E. Phanomachus cum Hestiodoro Xenophonti erat collega, quo tempore Potidaea expugnata est. Thuc. II. 40. Hestiodorus non amplius Strategi munere functus esse videtur, cui fortasse successerit Calliades a Plutarcho l. l. memoratus.

Calamitatis in Thracia acceptae dolorem Atheniensibus minuit irrita Lacedaemoniorum expeditio, qui Ambraciotis auxilio profecti, quum Stratum usque processissent, ab Acarnanibus profligati sunt. Thuc. II. 80. sqq. Diod. l. l.

Eodem fere tempore Corinthiorum classis, quae Lacedaemoniis auxilio ventura erat, a Phormione (2) Atheniensium imperatore in Crisaeo sinu devicta est, qui et brevi post

---

(1) Goellerus ad Thuc. l. l. atque ex eo Poppo citant XXIV. 31. vitiose.

(2) De Phormione plura, neque tamen reliquorum Veterum testimoniis confirmata, videas apud Paus. l. l. d. I. 23. § 12. Discimus ex Thuc. I. 115. eum iam Samiae interfuisse expeditioni, uti et Potidaeae obsidioni: I. 64. Diod. XII. 37. Genio suo minime indulgens, duram admodum vitam agebat. Aristoph. Pac. 347. ibique Schol. Athen. X. p. 419. A. Praeter Aristophanem in variis Comoediis (cf. Schol. ad Pac. l. l. Fritzsch. ad Bab. p. 15), eius meminit etiam Eupolis, quum in *Ἀστρατεύτοις*, tum in *Ταξιάρχοις* fragm. VIII. et X. Runkelii, qui in Add. de hoc loco meliora dedit. Omisit vero *Δήμους*, cuius fabulae fragmentum invenitur in eodem ad Pac. 348. Scholio. Cf. G. C. H. RASPIUS de Eupolidis *Δήμοις* ac *Πόλεσιν*. Lips. 1832. p. 15. et 73. Exstabat Phormionis sepulcrum Pausaniae aetate: I, 29. § 3. Patris nomen apud Pausaniam scribitur Asopichus, quam formam inveniri quoque in Pindaro docet Siebelisius. Sequor tamen constantem apud Thucydidem scribendi rationem, in primis ob Lib. III. c. 7. Conf. etiam Schol. Aristoph. ad Lysistr. vs. 805. ubi *Ἀσώπου* legitur; sed correxit Dindorfius ad Aristoph. fragm. in add. p. VI.

alteram de Peloponnesiorum classe nactus est victoriam ad Rhium promontorium, utrimque licet erecto tropaeo. Praeter locos e Thuc. et Aristoph. Equitt. a Clintono laudatos, conf. Diod. XII. 48. Plut. de glor. Ath. c. 1. p. 345. Aristid. II. p. 213. Aristoph. Equitt. vs. 559. ibique Scholl., e quibus profecit Suidas, quamquam hunc Phormionem cum Crotoniata cognomine confundens. Victoriae ad Rhium promontorium partae monumenta Delphico Apollini dicata (Paus. X. 11. § 5.): quod ne mireris, animadvertendum est, Athenienses victoriam reportasse, postquam sese prope litus, in quo Dei fanum erat, recepissent. Thuc. II. 91.

Silentio praetereundus non videtur Lacedaemoniorum conatus Piraeei de improviso occupandi, qui quamquam fausto successu caruit, Athenienses tamen terrore perculit, urbemque ipsam in maximum periculum et paene discrimen adduxit. Conf. Thuc. II. 93. sq. Diod. XII. 49. Ad haec igitur fere tempora retulerim vel exstructum, vel certe excogitatum a Cleone, munimentum, quod Aristophanes Eqq. 814. sqq. ei ita exprobare videtur:

Σὺ δ' Ἀθηναίους ἐζήτησας μικροπολίτας ἀποφῆναι
Διατειχίζων καὶ χρησμῳδῶν, ὁ Θεμιστοκλεῖ ἀντιφερίζων.

Apte usus est Aristophanes voce *διατειχίζειν*, ut Cleonis consilium, a Themistoclis exemplo prorsus diversum, indicaret. Quorum prior Piraeeum urbi iungi voluit, posterior muro transverso, ab altero longorum murorum ad alterum ducto, ab urbe separandum censuit. Cleonis consilium haud reprehenderim, quo urbs etiam capto Piraeeo defendi posset. Hinc enim Atheniensibus saepius periculum a Lacedaemoniis metuendum erat: Lysander munitissimo portu, una cum urbe, fame quam vi potiri maluit; haud vero diu post Sphodrias Piraeeo insidias se struere simulabat, *ὅτι δὴ ἀπύλωτος ἦν.* Ita sane Xenophon, Laconi haud dubie favens: Hell. V. 4. § 20. Verius fortasse Diod. XV. c. 29. Quo tempore Sulla Athenas obsidebat, Piraeeum egregie munitum fuisse, ut vel septemplici muro cinctus diceretur, scriptores testantur, quos citavit C. O. Muellerus, de tota hac quaestione consulendus, in libro, quem de Athenarum munimentis nuper edidit (1).

Sitalcae adversus Perdiccam expeditio, a Graecorum rebus etsi paulo alienior, non tamen prorsus abhorret. Ille Atheniensibus haud diu ante haec tempora conciliatus, (Thuc. II. 29.) constantem semper et fidum se praestitit socium; huius perfidia, qui et nuper Ambraciotis contra Acarnanes, Atheniensium amicos, auxiliatus fuerat, in B. P. historia satis famosa est. (Conf. Interpp. ad Plat. de Rep. I. c. 9. p. 336.) Quae hac de re e Thucydide colligi possunt, videas apud Popponem, Prolegg. I. 2. p. 421. sqq. et Gentium, virum amic., de Archelao, p. 40. sqq. (2). Perdiccas, multis oppidis amissis, per

(1) c. o. muelleri de munimentis Athenarum Quaestiones Historicae, et tituli de instauratione eorum perscripti explicatio. Goett. 1836. p. 11. 23.

(2) j. m. v. gent, Diss. Hist. Lit. de Archelao Macedoniae Rege; publice defensa L. B. d. 28. Apr. 1834.

Seuthen, Sitalcae patruelem filium, sibique promissa in matrimonium Stratonice sorore conciliatum, effecit, ut Thraces fame et hieme pressi domum redirent. Thuc. II. 95-101. Diod. XII. 50. sq. in postremis e Thuc. emendandus.

Hic fuit annus, de quo dubites, candidone an atro lapillo sit notandus in Fastis Atticorum. Cuius fere 7. Thargelionis (21-22. Maii) die quum natus esset divinus ille Plato, auctumno (circa 10. Septemb.) interiit Pericles, columen civitatis. Conf. Commentationes citatae pluribus locis. Animadvertendum autem, quod supra monuimus, superiorem annum fuisse intercalarem, atque igitur sex menses, quos huius anni Pericles ἐπεβίω, e Thucydidis mente, ab Elaphebolionis initio esse repetendos.

Nullam in Didascaliis reperire licuit dramatum hoc anno actorum recensionem. E Clintoni et Meinekii sententia locus e Prolegg. ad Aristoph. p. xxix. Beckii ita intelligendus est, ut *primae* Eupolidis Phrynichique fabulae hoc anno datae fuerint. Qua propter uterque in eamdem coniecturam incidit, Suidae verbis ἐπὶ πϛ′ Ὀλυμπιάδος mutatis in πζ′ Ὀλυμπ. Conf. et Runkelium p. 81. (1).

Ad hunc quoque annum ex C. F. Hermanni sententia, l. l. p. 298. sqq. prodita, Sophoclis Oedipus Tyrannus referendus est, quae tragoedia secundas tulit, victore Philocle (2). Conf. Dicaearchus apud Arg. scriptorem (3) et Aristid. II. p. 422. Quae si vere statuerit vir clar., non dubium est, cui assentiendum sit in lite de Oedipo Coloneo, post Tyrannum sane in scenam producto. Sed, ut de reliquis taceam, et vel lubens clar. viro concedam, pestilentiae commemorationem vs. 25. (coll. 168. sqq.) his temporibus quam maxime convenire; primarium tamen, quo usus est, argumentum, admittendum non putem. Contendit enim vir eximius, magnam perspici similitudinem Oedipum inter et Periclem, qui uterque piaculo pollutus Deorum iram in populares excitasse putaretur; neque alia de causa pestilentiam sibi divinitus immissam credidisse Athenienses, quam quia Pericli summam reipublicae administrationem tradidissent, qui licet non suo ipsius, at maiorum tamen crimine Diis invisus piaculoque obstrictus esse videretur. Ea coniectura inde petita est, quod, Thucydide (I. 127.) teste, Lacedaemonii id ipsum illi publice exprobrarunt, quo invidiam ei apud populum conflarent. Lacedaemonios vero id tentasse quidem, at nulla ratione populo potuisse persuadere, satis apparet ex Plut. Per. c. 33. ubi legimus: Ἡ δὲ πεῖρα περιέστη..... εἰς τοὐναντίον· ἀντὶ γὰρ ὑποψίας καὶ διαβολῆς ὁ Περικλῆς ἔτι μείζονα πίστιν ἔσχε καὶ τιμὴν παρὰ τοῖς πολίταις.

---

(1) Pherecratis et Eupolidis Fragmenta; collegit etc. M. Runkelius. Lips. 1829.

(2) Conff. Interpp. ad Aristoph. Vespp. 462. Avv. 281. 1295. Thesm. 168. G. Hermanni Opuscc. II. p. 308. Clint. prooem. p. xxxii.

(3) Apud A. Buttmannum fragm. VI. e Lib. III.

At, pertinet Plutarchi narratio ad B. P. initium, Sophoclis vero Tragoedia docta est altero huius belli anno tantum non finito. Audio, nec repono, poetae satis magno temporis spatio opus fuisse, quo drama componeretur; id tantum respondeo: ipsa grassante pestilentia, *ὑφ᾽ ἧς καὶ τὰ σώματα κακούμενοι καὶ τὰς ψυχὰς παντάπασιν ἠγριώθησαν πρὸς τὸν Περικλέα*, Athenienses, a Periclis inimicis excitati, morbi tamen causam eam intellexerunt: *ὡς τὴν μὲν νόσον ἡ τοῦ χωριτικοῦ πλήθους εἰς τὸ ἄστυ συμφόρησις ἐργάζεται, κ. τ. ἑ.* loco longiore, quam qui hic integer describatur, sed omnino legendus est apud Plut. l. l. c. 34. Vid. et Diod. XII. 45. Neque enim Thucydidis silentium ita explices, Historicum humanarum magis quam divinarum rerum curiosum fuisse; contra ea in Cylonii piaculi historia narranda praeter consuetudinem tam prolixus fuit, ut leo ibi risisse diceretur. Conf. Goellerus ad Thuc. I. 126. Meminit (II. c. 54.) et oraculi, quo pestilentiam praedictam putabant Athenienses. Quod si quis reputet, mirabitur profecto duplicem gravissimae istius rei commemorandae occasionem, quam sibi oblatam videret Thucydides, ab eo fuisse neglectam. Sed mittamus iam Thucydidem. Quid Diodorum, quid Plutarchum memorasse putemus, quo Hermanni suspicio defendatur? Diodorum dico et Plutarchum, utrumque e posterioris aetatis scriptoribus haud raro ea petentem, quae ad interiorem vitam rumoresque in vulgus sparsos pertineant? Vel ipsi Comici, in Periclem quamvis iniqui iudices, absurdis, quae de B. P. initiis excogitarunt, commentis addere omiserunt piaculi mentionem, quod an fecerint Periclis famae consulentes, aut Cylonii sceleris immemores (cf. Aristoph. Equitt. 444. sq. Philonid. ap. Hanovium, Exercc. in Comm. Gr. p. 11.), penes aequum lectorem esto iudicium.

A. C. n. 428. Ol. LXXX$\frac{\text{VII.}}{\text{VIII.}}$

4. EPAMINO.
1. DIOTIMUS.

Phormio, qui per totam hiemem ad Naupactum stativa habuerat, unde profectus plures in Acarnaniam expeditiones suscipere solebat, eosque ex oppidis eiicere, qui dubiae fidei esse viderentur; hic igitur Oeneadas aggressus, Acheloi stagnatione impeditus est, quo minus propositum perficeret, et ante veris initium (5. Apr.) Athenas rediit. Cf. Thuc.

II. 102. 103. (1). Ac brevi quidem mortem obiisse videtur, bellum certe administrare amplius non potuit. Acarnanes igitur praestantissimi imperatoris virtutem desiderantes, ab Atheniensibus impetrarunt, ut sibi mitteretur Phormionis filius Asopius. Hic vero patris famam male tuitus est; nam post Oeneadas insulas frustra tentatas Leucadem quum appulisset, copiis profligatis ipse interfectus est: Thuc. III. 7. Quae etsi tempore fuerunt posteriora, nam circa Hecatombaeonem Athenis solvit Asopius, hic tamen apte commemorari posse putavi.

Quo tempore Phormio Athenas rediit, gravissima pestilentia, qua adhuc Athenienses afflicti erant, licet non cessaret, a pristina tamen saevitia aliquantum remittere coepit. Thuc. III. 87. Poppo Praef. de Pestil. e.

Verba *ἅμα τῷ σίτῳ ἀκμάζοντι*, quibus Thuc. III. 1. tempus indicat, quo Peloponnesii tertiam in Atticorum regionem fecerunt irruptionem, eamque ultimam cui Archidamus praefuit (2), hodie ab optimis interpretibus accipiuntur de *florenti segete*. Cf. Neoph. Ducas ad h. l. et in primis ad c. 15. Poppo ad II. 19. e Kruegero ad Dionys. Historiogg. p. XXXII. not. 102. nonnulla describens, partim huc pertinentia, partim quae aliena videntur. Miror tamen, nullum ex viris istis doctissimis rationem habuisse Diod. XII. 52., e quo discimus, Peloponnesios in hac irruptione *τὸν σῖτον τὸν ἐν τῇ χλοῇ* corrupisse. Quum autem frumentum usui nondum esset idoneum, manserunt, quoad cibaria secum portata absumta essent. Quae eadem ipsis iterum fuit revertendi causa, quum anno 425. discedere coacti sunt: quamquam eo tempore etiam accessit occupatae Pyli nuncius. Conf. Thuc. IV. 6. *τοῦ σίτου ἔτι χλωροῦ ὄντος ἐσπάνιζον τροφῆς τοῖς πολλοῖς*, quo loco non negligenda, quae eiusdem libri c. 2. leguntur: ..... *πρὶν τὸν σῖτον ἐν ἀκμῇ εἶναι* ..... *ἐσέβαλον*.

Peloponnesiorum irruptionem statim secuta est Lesbiorum defectio. Hanc moliti fuerant Mytilenaei (3) iam ante B. P. initium, sed a Lacedaemoniis, quorum auxilium imploraverant, repulsi omnia tamen ad bellum praeparabant. Tandem quadraginta navium Athenis missarum adventu permoti sunt, ut palam desciscerent. Quod exemplum omnes Lesbii secuti sunt, exceptis tantum Methymnaeis. Thuc. III. 2-6. Diod. XII. 55. (4).

Lesbii, qui iterum ad Lacedaemonios se converterant, ab his iubentur Olympiam venire, ut ibi, post ludorum celebrationem, in sociorum consessu res suas agant. Thuc.

(1) Ad quem locum Bloomf. annotat, hic primum inveniri exemplum captivorum a bellantibus populis invicem commutatorum

(2) Quae de tempore annotare cogitaveram, per quod Archidamus regnavit, occupata iam vidi a Clintono in Append. p. 227. add. Poppo ad lib. III. 89. § 1.

(3) Melius scribitur *Μυτιλήνη* quam *Μιτυλήνη* ut vulgo fit. Priorem lectionem exhibent optimi Cdd. et confirmant Grammaticorum praecepta, urbis nomen a Mytone conditore derivantium. Accedit monumentorum nummorumque auctoritas. Conf. Poppo ad Thuc. III. 2. § 3.

(4) Wesselingius, ut discrepantes Thucydidis et Diodori narrationes inter se conciliaret, posterioris verba *ὅτι βουλομένων συνοικίζειν πάσας τὰς κατὰ τὴν Λέσβον πόλεις, εἰς τὴν Μυτιληναίων πόλιν διεκόμισαν*, sic legi iussit: *ὅ. β. σ. πάσας τὰς κατὰ τὴν Λέσβον πόλεις εἰς τὴν Μυτιληναίων πόλιν, διεκώλυσαν.*

III. 8. Ipse vero Iulianei anni dies, quo ludi Olympii (1) celebrati sint, definiri nequit, ut nobis saltem videtur. Dodwellus autem (p. 66. B.) animadvertens, primum Olympicorum ludorum diem in undecimum Olympici mensis incidisse, *κρίσιν* vero sexto decimo eiusdem mensis die fuisse habitam; suspicatur, diem quo Mytilenaei causam dixerunt, (hunc autem *κρίσεως* uno posteriorem fuisse non sine veri specie colligit,) in undevigesimum Iulii diem incidisse, quoniam Olympicus annus a secundo Iulii die initium ceperit. Sed, ne dicam, si primus Olympici mensis dies secundus Iulii fuerit, decimum septimum illius mensis diem huius duodevigesimo necessario convenire debuisse; id potius animadverto, non satis constare, an illud plenilunium, in quod Olympici ludi incidebant, aestivo solstitio semper fuerit proximum. Contra ea, isti ludi, quod docuit Idelerus l. c. I. p. 366., alternis vicibus, modo post undequinquaginta mensium spatium medio mense Apollonio, mox post quinquaginta exactos medio Parthenio, celebrabantur. (Schol. Pind. Olymp. III. vs. 35.) Itaque nullum certum locum in civili Atticorum anno occupare potuerunt: ut frustra laborem suscepisse censendi sint, tum Dodwellus, tum Corsinus aliique Chronologi, qui Olympicum mensem Hecatombaeoni omnino respondentem habuerunt.

Sed redeamus, unde digressionem fecimus, ad Mytilenaeorum legatos. Qui non omiserunt adhortari Peloponnesios, ne opportunitatem praetermitterent, qua Athenienses duplici bello morboque afflictos opprimerent: Thuc. III. 9-14. Neque successu caruit illorum opera. Initur societas, decernitur altera eodem hocce anno in Atticam irruptio. Lacedaemonii, ad Isthmum sociorum copias praestolantes, omnia diligenter praeparant. Sociorum tamen segnitie, Atheniensiumque alacritate, qui, ut Lesbiorum dicta factis redarguerent, praeter classem circa Lesbum commorantem, alias centum naves Peloponnesum versus miserant, effectum est, ut Lacedaemonii re infecta domum redirent, classem paraturi, qua Lesbiis auxiliarentur. Athenienses invasionis metu liberati et ipsi classem revocarunt, ingruente vero hieme (ante 28. Sept.) Pachetem Mytilenam mittunt, qui urbem terra marique obsessam tenuit: Thuc. III. 15. 16. 18. Diod. XII. 55.

Usus est Thuc. (III. 17. (2)) hac opportunitate, ut ostenderet, quantas Atheniensium

(1) De Dorieo Rhodio, in his ludis victore, praeter locos a Kruegero ad Clint. citatos, conff. scriptores quos citavit Poppo ad Thuc. III. 8., in his Boeckhium ad Pind. Ol. VII. p. 166., cui a Dissenio in minori ed. additur Muellerus de Dorr. I. p. 108. II. p. 147. Locum Pausaniae qui de Dorieo classicus ab omnibus habetur, invenias lib. VII. c. 6. § 2. ubi vid. Siebel. Vicit Dorieus pancratio, ut ceteri, quos Thuc. commemorat, Olympionicae. conf. V. 49. ibique Duk. De reliquis hoc anno victoribus vid. Corsin. Fast. Att. ad h. a.

(2) Nonnulla ex hoc cap. leguntur ap. Schol. ad Dem. Leptin. c. 8. pag. 466. Reisk., ubi a nostra diversa occurrit operis Thucydidei divisio. Legitur ibi: *εἶπε (Θουκ.) ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν ἱστοριῶν.* In quibus etsi nihil mutare voluit F. A. Wolfius, quoniam variae olim fuerunt partium Thucydidei operis divisiones, vitium tamen subesse suspicatur, quum *plures* quam octo libros a Grammaticis factos esse constet, non pauciores. Conf. Poppo I. 1. p. 74. sq. cui addas Plut. Apophth. Regg. p. 207. F. n. 14. ibique Wyttenb.

opes B. P. absumserit. Hinc quaedam in suum usum convertit Boeckhius in Oec. Civ. I. p. 286. 312. et passim in fine lib. II., et fecerat ante eum Meinersius (1) Tom. II. p. 239. not. 3. Itaque nemo miretur, hoc tempore *τὰς εἰσφορὰς* primum in usu esse coepisse. Vid. Thuc. III. 19. ibique Popponem; Boeckh. l. l. II. p. 2. coll. 56. sq. Wachsm. (2) II. 1. p. 136.

Lysicles, quem ad pecunias exigendas (3) cum navibus missum, in itinere vero cum parte exercitus interfectum tradit Thuc. l. l., haud dubie idem fuit, cui post Periclis obitum nupsit Aspasia. Conf. Krueg. ad Dion. Historr. p. 328. not. 29. Comm. cit. *Obs. XXVII.* not. 2. Qui nostrae sententiae adversantur, in primis expendant Aristoph. Equitt. vs. 129. sq. ubi Eucratis (4), Lysiclis Cleonisque demagogiae deinceps enumerantur.

Memorandus etiam viri obitus, qui neque Atheniensis fuit, neque Athenis mortuus est, sed plurima contulit, quum ad rempublicam administrandam, tum in primis ad Ionicam philosophiam Atheniensibus commendandam. Fuit ille Anaxagoras Clazomenius, qui Lampsaci septuagesimo secundo aetatis anno decessit. Conff. praeter locos a Clintono citatos, E. Schaubachius, l. l. p. 53. sqq.

Vicit hoc anno Euripides; secundos tulit honores Iophon Sophoclis filius (5), tertios Ion. (6) Drama Euripidis fuit Hippolytus; repetitae editionis, ut plurimi volunt interpretes, qui verba *ἔστιν δὲ οὗτος ὁ Ἱππόλυτος κ. τ. ἑ.* ad Didascaliam proxime praecedentem pertinere arbitrantur. Quae vero sequuntur, *ἐμφαίνεται δὲ ὕστερος γεγραμμένος*, prohibere mihi videntur, quo minus putemus hanc, quam superstitem habemus, Hippolyti editionem in scenam productam fuisse. Quod et aliis quibusdam fabulis, idem huic quoque tragoediae fortasse acciderit, ut scripto emendata denuo ederetur. Quae si ex vero suspicatus fuerim, fabula, *Ἱππόλυτος Στεφανίας* inscripta, non habenda est *διασκευή* velati Hippolyti, sed utraque inter se diversa fuit fabula, quamquam cognati argumenti. Quod, quum affirmasset G. Canterus (Nov. Lectt. VII. c. 21.), negasse summum virum Bentleium (in Ep. ad Mill. p. 31.) cognovi e Valckenario (Praef. ad Hipp. p. 18.). Quocirca non nisi perquam mihi diffidens hanc suspicionem iterum proponere ausus sum: quamquam haud iniuria postulare mihi videor, verborum *ἐμφαίνεται κ. τ. ἑ.* maximam rationem haberi oportere. Locos autem, quos ex Hippolyto, v. g. vs. 191. sqq., petivit Boeckh. de Tragg. p. 180. sqq., et nonnullos quidem fortasse cupidius, quo probaret frequentes in hac tragoedia conspici publicarum rerum

(1) C. Meiners, *Gesch. des Ursprungs, Fortgangs und Verfalls der Wissensch. in Griechenl.* II. Tomm. Lemgoviae 1781.

(2) W. Wachsmuth, *Hellenische Altherthumskunde.* II. Tomm. IV. Partt. Halis 1826. 8°.

(3) Conf. Boeckh. l. l. II. p. 129. Poppo Prolegg. I. 2. p. 58.

(4) De quo conf. Suevernius in Comm. de Aristoph. comoed. *Γῆρα.* Berol. 1827. p. 12. F. V. Fritzsche de Babyloniis. Lips. 1830. p. 38. sq.

(5) De quo vid. Clint. ad h. a. 405. Boeckh. de Tragg. p. 115. sq.

(6) Vid. ad a. 421.

significationes (1), Periclis obitum, v. c., pestilentiamque Athenis grassantem; hos igitur locos e priori editione alteri insertos habere licet.

De Euripidis Ione, non multo post Ol. LXXXVII. 4. acta, Kruegerus commemoravit Boeckhii sententiam, proditam in libro de Tragg. p. 192. 203. Argumentum vero, quod e Panathenaici pepli mentione petitur, eam ob causam minus probandum videtur, quod ex erronea fluxit opinione, qua magna Panathenaea quarto quoque Olympiadum anno celebrata essent, vigesimo ante ludos Olympicos die. Quem errorem, natum ex male intellecto Thuc. loco, V. 47., ipse Boeckh. emendavit in Oec. Civ. II. p. 165. sq. ubi ex inscriptione, quam nobiscum communicavit, Lysiaeque item loco *ἀπολογ. δωροδοκ.* p. 698., unicuique apparet, magna Panathenaea tertio quovis Olympiadum anno celebrata fuisse; id quod iam docuerat Corsin. F. A. II. p. 360. Aliud est, quod reprehendit Hermannus in Praef. ad hanc tragoediam, p. 32.; sed idem ex numeris versuum collegit, scriptam esse hanc fabulam, nec post Ol. LXXXIX., nec multo prius.

Denique commemorandae Platonis fabulae, quas hac Olympiade docere coepit Comicus poeta, ut monuerunt Meinekius Q. S. II. p. 11. et Clintonus ad h. a., qui uterque Eusebium erroris arguens, Cyrilli auctoritatem praefert, adv. Iulian. I. p. 13.

A. C. n. 427. Ol. LXXXVIII.

1. DIOTIMUS.
2. EUCLES (2).

Huius anni hiems nobilitata fuit audaci Plataeensium facinore, ex quibus, obsidio ac fame pressis, ducenti et viginti per Lacedaemoniorum munitiones eruperunt ac prope-

(1) De quibus conf. SUEVERNIUS, über die historischen u. politischen Anspielungen in den griechischen Tragoedien, in Comm. Acad. Berol. Class. Hist. Phil. 1824.

(2) Nullus dubito, quin ita sit legendum Archontis nomen. Satis hoc probatur verbis Aristotelis, cuius hac in re eo maior est auctoritas, quo magis idoneum sese ostendit Atticae scenae iudicem, etiam edito libro *διδασκαλιῶν*, nobis temporum iniuria erepto. Conf. Rankius l. c. p. 133. Dicit Aristoteles (Meteoroll. I. 6.): *Ἐπ᾽ Ἄρχοντος Ἀθήνῃσιν Εὐκλέους τοῦ Μόλωνος ἐγένετο κ. τ. ἑ.* Idem invenitur apud antiquiores philosophi interpretes a Clintono omissos, Alex. Aphrodiseum, Olympiodorum, Jo. Philoponum. His addantur Scholl. ad Aristoph. Vespp. vs. 240. et ad Aeschinem. (conf. Wess. ad Diod. XII. 53.) et Mich. Apostolius, Proverb. XVII. 25. p. 210. in quo, quamvis corrupto, latent tamen verae scripturae vestigia. Qui vero *Euclidi* patrocinantur, sententiam tueri student auctoritate Diodori; sed is, etiamsi contendas hoc loco

modum omnes Athenas evaserunt. Thuc. III. 20-24. quique a Poppone citantur Diod. XII. 56. Demosth. c. Neaeram c. 103. Polyaen. VI. 19. § 2. 3.

Interim classem instruxerant Lacedaemonii, qui sub hiemis finem Salaethum Mytilenam miserant nunciatum, se brevi cum quadraginta navium classe adfuturos esse, Peloponnesiosque eodem tempore in Atticam irrupturos. Qui non eadem, qua solebant, usi segnitie, initio veris (post 24. Mart.) classem Lesbiis auxilio miserunt, ipsi profecti sunt in hostilem regionem duce Cleomene, patruo ac tutore regis Pausaniae. Quarta haecce irruptio Atheniensibus post secundam omnium longe fuit acerbissima. Namque Peloponnesii, sperantes se aliquid de classe inaudituros, diutius in Attica manserunt; quum vero frumentum deficeret, nullusque a navibus adveniret nuncius, omni regione vastata domum redierunt. Thuc. III. 25. sq. Diod. XII. 55. n. 57.

Alcidas autem Peloponnesiorum classi praefectus, nihil quod alicuius momenti esset, praestitit. Qui primum circa Peloponnesum moratus, Mytilenam ab Atheniensibus fame expugnari passus est, deinde, occasionem praetermisit reparandae cladis, sibi oblatam incuria Atheniensium ob victoriam custodias remissius agentium; ne in Ioniam quidem escensionem facere ausus est; sed ut animadvertit sese ab Atheniensibus, Salaminia Paraloque vectis, conspectum esse, quam primum potuit in Peloponnesum revertit; aegre tamen effugiens Pachetem, qui, nunciato sibi cursu Alcidae, hunc ad insulam Patmum usque persecutus assequi tamen non potuit. Itaque Paches Mytilenam rediit, in itinere per fraudem capto oppido Notio, quod Colophoniis eripuerant Barbari secundo P.B. anno. Thuc. III. 27-34.

Notissima est Atheniensium levitas et crudelis agendi ratio, qua de Mytilenaeorum salute deliberarunt. Altera navis, quae mandata, prioribus prorsus contraria, deferre debebat (conf. Antiph. de caede Herod. c. 12.), vix in tempore advenit, Pachetemque, qui prius psephisma iam praelegerat, impedivit, quo minus civitatem funditus deleret. Muri tamen diruti, naves traditae, Lesbiorum insula, praeter Methymnaeorum regionem, in mille portiones divisa, totidemque Atheniensibus concessa, decima parte Diis

---

ipsam scriptoris manum agnoscendam esse, ipse tamen saepius haud satis diligens in nominibus scribendis reperitur; Scholium autem ad Aristoph. Equitt. vs. 237. ne quem moretur, indicasse sufficiat, illud temere ex pluribus Grammaticorum testimoniis conflatum, in aliis etiam a vero aberrare. Sed Corsinus suspicatur Philoponum, dum Aristotelis locum describens adderet verba *τοῦ μετὰ Διότιμον*, nobis servasse Aristotelici testimonii particulam, quae ex Codd. quibus hodie utimur exciderit, aut certe ex aliquo vetere scriptore adscivisse. Verbis autem *τοῦ μετὰ Διότιμον*, uti et illis *τοῦ Μόλωνος*, Philosophum usum fuisse coniicit, ut huius anni Archontem et patris (raro satis exemplo, ut monet Boeckhius ad Corp. Inscr. II. p. 321. a. quocum conferas Osanni verba ad Inscr. Syll. p. 324.) et decessoris (cf. Boeckh. ad Corp. Inscr. I. p. 156. b.) nomine a nobiliore illo Euclide discerneret. Cui coniecturae illud tamen obiiciendum videtur: verba, quae apud Philoponum leguntur, non tantum in nullo, quod sciam, Aristotelico Cod. inveniri, verum et ab reliquis Philosophi Interpretibus modo citatis omitti. Quodsi vero statuas, Philopono eam felicitatem obtigisse, ut meliores consuleret Codd.; satis mirari non possumus, qui tandem ipse in vitiosa, quam vocant scilicet, lectione *Εὐκλέους* cum ceteris conspiraverit. R. Hanovius (Exercitt. Crit. in Comicos Graecos p. 5.) quum putavit Corsinum ex Aristotele Euclidis nomen defendisse, ipsum Corsinum leviter inspexisse videtur. — Huius anni Archon idem fortasse fuerit *Eucles*, qui memoratur apud Thuc. VI. 104.

sacrata. Salaethus et Lesbiorum optimates a Pachete Athenas missi ibique interfecti sunt. Thuc. III. 35-50. Diod. XII. 55. coll. XIII. 30. Antiph. l. l. c. 13. Strabo XIII. p. 600. et 618. Schol. ad Equitt. vs. 831. ubi pro *Pachete* identidem vocatur *Chares:* (vid. et Acharnn. vs. 604.) *Laches* olim legebatur apud Plutarchum Nic. c. 6. *Paches* vero in Aristid. c. 6. uti et apud Aristot. Polit. V. c. 4. Dion. Hal. Iud. de Thuc. c. 17. Ex locis autem Plutarchi Pachetem, ex hac expeditione reducem, dum στρατηγίας redderet rationes, suo se gladio confodisse constat. Qua de re conf. Poppo ad c. 50. ubi tamen typographi error in Frontino citando ita corrigendus est, ut legas lib. IV. c. 7. 17.

Interim Athenienses, quamquam circa insulas occupati, nihilo secius res in vicinia diligenter curabant. Ex decreto facto contra Megarenses duplicem quotannis in eorum regionem faciebant irruptionem; hoc vero anno magis etiam ad angustias redegerunt, occupata a Nicia Minoë insula, custodibusque ei impositis, qui prohiberent, ne quidquam Megaris exportaretur, eove importaretur. Thuc. III. 51. ubi Poppo monet, primam Niciae mentionem fieri a Thucydide. Aliunde tamen constat, Niciam Pericli in στρατηγίᾳ aliquoties fuisse collegam. Conf. Plut. in vit. c. 2 et 6. ubi levis error animadvertendus.

Brevi vero post Athenienses, etsi nihil ipsi adversi patientes, graviter tamen afflicti sunt excidio urbis, quam inde a Persicis temporibus arctissimo societatis vinculo sibi iunctam habuerant. Tum enim Plataeenses fame coacti, postquam urbem Lacedaemoniis tradiderunt, omnes quoad capi potuerunt interfecti sunt. Quibus effugere licuit, ab Atheniensibus data est civitas, psephismate scripto auctore Hippocrate (1): *Πλαταιέας εἶναι Ἀθηναίους..... ἐντίμους, καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἀθηναῖοι, καὶ μετεῖναι αὐτοῖς, ὧνπερ Ἀθηναίοις μέτεστι, πάντων, καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων, πλὴν εἴ τις ἱερωσύνη ἢ τελετή ἐστιν ἐκ γένους, μηδὲ τῶν ἐννέα ἀρχόντων, τοῖς δ᾽ ἐκ τούτων· κατανεῖμαι δὲ τοὺς Πλαταιέας εἰς τοὺς δήμους καὶ τὰς φυλάς. κ. τ. ἑ.* Demosth. c. Neaeram, c. 26. Vid. Thuc. III. 52-68. Diod. XII. 56. Isocr. Panath. c. 35. or. Plataeens. c. 8. 20. et passim. Paus. III. 7. § 9. III. 9. § 1. IX. 1. § 3. Quatenus ante haec tempora Plataeenses Atticae civitatis participes vocari potuerint, ex Meiero de bon. damn. p. 52. sq. n. 165., docet Krueg. ad Dion. Historiogg. p. 100. n. Conf. Wachsm. Ant. Gr. I. 2. p. 271.

Plataeensium summa in extremis etiam periculis constantia, civiumque consensio eo admirabilior nobis videtur, quo vehementiores istud bellum discordias in singulis Graeciae civitatibus excitavit et aluit. Hinc ortae crebrae seditiones ac turbae, optimatibus Peloponnesiorum partes tuentibus, dum popularis factio Atheniensibus favebat. Conf. Thuc. III. 82. Cuius rei famosum sed triste exemplum praebuit Corcyraeorum civitas, decurrente huius anni aestate. Ibi nobiles aliquot, quum, Pithia adversariae factionis principe in ius vocato, efficere tamen non potuissent ut condemnaretur; ipsi vero ob laesam religionem

---

(1) De quo cf. Comm. cit. *Obs. IV.* not. 3. Vid. quoque ad a. 424.

Senatu moti essent, tumultu facto, cum pugionibus in Senatum irruperunt, deinde, occiso cum asseclis Pithia, plebem adorti sunt. Ab illa vero superati, et iam supplices ad Deorum aras sedentes, meliorem de suis rebus conceperunt opinionem, profligatis Corcyraeorum, quique iis auxilio venerant, Atheniensium navibus ab Alcida Lacedaemoniorum navarcho. Eiusdem vero socordia, urbem terroris ac perturbationis plenam occupare detrectantis, mox etiam turpiter fugientis ignavia factum est, ut illa spes cito evanesceret. Neque enim effrenata multitudo, hostium metu liberata, vel supplicibus pepercit, quos a Deorum templis abstractos ferro, iisve inclusos fame necarunt; quin a patre filium trucidatum testatur Thucydides. Vid. III. 70-81. coll. 69. Diod. XII. 57. nimiam brevitatem sectatus, ut ait Wess., qui, quum XV. 49. conferri iubet, XIII. 48. voluisse videtur. Sed ne tunc quidem aliqua quiete frui civitati licuit. Qui enim ex caede evaserant, primum e continente, deinde monte in ipsa insula occupato, oppidanorum agros depopulantes, ingentem famem in urbe excitarunt. Thuc. III. 85.

Ad Athenienses redeamus. Hi, *νεωτεροποιοι..... καὶ παρὰ δύναμιν τολμηταί, καὶ παρὰ γνώμην κινδυνευταί, καὶ ἐπὶ τοῖς δεινοῖς εὐέλπιδες..... ἄοκνοι..... καὶ ἀποδημηταί* (1), avide arripuerunt invadendae Siciliae occasionem sibi, a Periclis inde temporibus huic insulae inhiantibus, tandem oblatam, Leontinorum legatione auxilia contra Syracusanos petitum Athenas missa. Miserunt igitur circa aestatis finem Lachetem, addito collega cum viginti navibus. De qua expeditione infra (ad a. 425.) dicendi locus erit. Vid. Thuc. III. 86. Diod. XII. 54. Iustinus IV. 3. qui tradit, iam ante Lachetem in Siciliam missum esse Lamponium quemdam; quoniam vero prima initia prospera fuissent, mox maiorem classem in Siciliam navigasse. Conf. Boeckhius in Oec. Civ. II. p. 194.

Denique et memoranda pestilentiae redintegratio, quae quum superiori anno de pristina saevitia aliquid remisisset, ineunte hieme (circae 18. Oct.) recruduit et per integrum annum Athenienses vexavit. Thuc. III. 87. Diod. XII. 58., ubi in morbi causas inquiritur.

Memorabilis hic annus, si literarum humaniorum conditionem spectamus, quo currente Athenas advenit Gorgias, legationis, a Leontinis missae, quum auctoritate, tum ingenio et eloquentia, princeps (conff. loci a Clint. citati, quibus addas Plat. Hipp. III. p. 282. B). De quo quum plura dici possent, si illud nunc ageremus, ea modo tangemus, quae non nimis a nostro proposito abhorrent. Philostratus enim de Vit. Sophist. p. 493. eiusmodi de Gorgia tradit, quae, nisi cum Westermanno (2) omnem fidem

(1) Verissimum de Atheniensibus Corinthiorum iudicium. Vid. Thuc. I. 70.

(2) Conf. Cl. viri liber, qui inscribitur *Geschichte der Beredsamkeit in Griechenl. und Rom.* II. Tomm. Lips. 1833. Vol. I. § 33. n. 5. 35. n. 2 et 12.

scriptori neges, ad Wesselingii te recipere cogant coniecturam (ad Diod. XII. 53.), aut, si hanc minus probes, Geelii tibi persuadeant de his rebus sententiam, proditam in Critica sophistarum Historia p. 165. (1). Quam sententiam qui nuper dixit ingeniose quidem excogitatam sed minime necessariam, quod Philostratus illud tantum sibi voluerit, Gorgiam in admirationem sui Periclem rapuisse, ille quidem vim verbi ἀναρτᾶσθαι recte expressisse videtur, nec vero ostendit, qui tandem Gorgias probabiliter dici potuerit Athenienses ab ore suo suspensos tenuisse, nisi ipse prius Athenas venisset, vel certe illius scripta eo fuissent perlata. Gorgiam an comitatus sit Tisias, et ipse nobilis Rhetor, etiamsi vulgo illud dicatur (conf. Westerm. l. l. § 28.), certo tamen non affirmaverim, nec ipsum tempus definiam, quo Gorgias post peractam legationem in patriam redierit. Qui breviorem moram fuisse statuunt, Fossius (2) eumque secutus Westermannus l. l. § 29. 6., nituntur praecipue Diodori loco, quem tamen et in alteram partem explicari posse docuit Geelius, loco proxime laudato. Multo magis obstant, quos ipsi citarunt, Plato Hipp. M. p. 282. d. et Schol. Hermog. p. 6. κατέσχον δὲ αὐτὸν ἐν Ἀθήναις τὴν συμμαχιαν πέμψαντες ἐν τῇ Λεοντινῃ. Quae vero leguntur apud Plutarchum, de Genio Socr. c. 13. p. 583., ea ad extremam Gorgiae aetatem referenda esse, nemo facile negaverit. Conf., qui bene his locis usus est, Rankius l. l. p. 238. not. 44.

Antiphontis orationem de caede Herodis post Lesbiorum defectionem, incertum quo anno, scriptam fuisse, annotavit Kruegerus ad h. a. P. P. Dobreus in Adversariis ad Antiphontem, e verbis (c. 13.) οὐδ' ἑτέρας πόλεως πολίτης γεγενημένος, ὥσπερ ἑτέρους ὁρῶ τοὺς μὲν εἰς τὴν ἤπειρον ἰόντας καὶ οἰκοῦντας ἐν τοῖς πολεμίοις τοῖς ὑμετέροις· suspicatur, orationem scriptam esse tempore Ionicae defectionis (a. 413.) post cladem in Sicilia acceptam. Vereor ne haec argutius dicta sint; quamquam ex iis, quae reus addit de suo patre illiusque agendi ratione postquam Lesbii defecissent, haud male colligitur, satis magno temporis intervallo habitam orationem ab illa defectione distitisse.

Primam hoc anno docuit fabulam Aristophanes, Δαιταλῆς inscriptam. Quae Lenaeorum festo (3) in scenam producta, postea amplam praebuit disputandi materiem, de iis hominibus per quos, quorumve nomine usus, Aristophanes nonnulla ex suis dramatis edi curaverit. De qua re ad Babyloniorum Vesparumque didascalias pluribus agemus; hic tantum animadvertimus, Clintonum, cui adsentitur Dindorfius, ubi Philonidis Callistratique nomina sedem mutare iubet, vitium corrigere ab ipso scriptore commissum. Conf.

---

(1) Inserta Novis Actis Literariis Societatis Rheno-Traiectinae, P. II. (a. 1823. ed.).

(2) H. E. FOSS, de Gorgia Leontino Commentatio. Hal. Sax. 1828. Libellus mihi cognitus e Cl. Geelii censura, quae invenitur in Bibl. Crit. Nov. Vol. V. Part. I. p. 137. sqq.

(3) De Lenaeis Gamelione mense celebratis conf. in primis BOECKHIUS in Comm. Acad. Berol. A°. 1816-1817. Nonnulla habent R. HANOVIUS Exercc. in Comm. Graecos p. 82. et G. C. W. SCHNEIDER de Theatro Attico (*das Attische Theaterwesen*). Vimariae 1835. not. 28. 39.

Rankius p. 226. Fabulae argumentum, ab ipso poeta indicatum, Nubb. vs. 524. sqq., loco notiori, quam qui hic describatur, copiosius explicavit F. V. Fritzschius, peculiari disputatione de Aristophanis Daetalensibus. Lips. 1831.

A. C. n. 426. Ol. LXXXVIII.

2. EUCLES.
3. EUTHYDEMUS (1).

Ἐγένετο κομήτης ἀστὴρ..... μηνὸς Γαμηλιῶνος, περὶ τροπὰς ὄντος τοῦ ἡλιου χειμερινάς. (Aristot. Meteorr. I. 6.) Quo viso haud scio an Graeci, physicarum rerum non admodum periti, stellae apparitionem maiorum calamitatum praenuntiam habuerint. Quidquid vero sit, in veros certe timores eorum mentes redegerunt frequentes terrae motus, quibus hoc anno variae regiones conquassatae sunt, ac mare restagnans terras hic illic inundavit. Thuc. III. 87. 89. Diod. XII. 59. Hi terrae motus prohibuerunt, quo minus Peloponnesii ad Isthmum progressi (ante 13. Apr.) in Atticam irrumperent, namque *δεισιδαιμονήσαντες ἀνέκαμψαν εἰς τὰς πατρίδας.* Thuc. et Diod. ll. cc.

Interim Athenienses circa Siciliam versantes, qui ab Rheginis adiuti, decurrente hieme Aeolias insulas vastaverant, varia deinceps commiserunt proelia, quorum maxime memorabilia tantum commemoravit Thuc., in his Lachetis expeditionem adversus Mylas; quo loco, quem Messani munierant, expugnato eos deditionem facere coegit. Thuc. III. 88. 90. Diod. XII. 54. n. 5. ubi videndus Wess. Conf. Poppo Prolegg. I. 2. p. 534.

Neque tamen impedivit illa Sicula expeditio, quo minus eadem aestate duae classes ab Atheniensibus emitterentur, altera circa Peloponnesum ducibus Demosthene ac Procle, in Melum altera, Nicia praetore. De posteriore primum dicamus. Nicias enim insulam adortus, cuius incolae neque Atheniensibus obedire, nec eorum socii esse volebant, sed re

(1) De scribendo huius Archontis nomine praeter Clintonum cf. Rankius l. l. p. 347.

infecta abire coactus, agris vastatis in Boeotiam (1) navigavit. Convenerat enim inter classis praetorem ducesque qui domi manserant, ut utrimque in Tanagraeos fieret invasio. Athenienses igitur *πανδημεί* ducibus Hipponico et Eurymedonte profecti, castris apud Tanagram positis agrum depopulati sunt, posteroque die Tanagraeos ab aliquot Thebanis adiutos superarunt. Tropaeo posito, Hipponicus Athenas, Nicias ad naves rediit, et per aliquod temporis spatium Locride vastata, domum revertit. Conf. praeter Thuc. III. 91. et Diod. XII. 65. tempora confundentem, Athenaeus V. p. 218. B., immerito notatus a Rankio l. c. p. 346. Optime Clintonus victoriam ineunte Euthydemi anno reportatam fuisse coniicit, nec quidquam Thucydides obstat; immo id ipsum Thucydideis Annalibus confirmatur, quamquam Dodwellus Athenaei immemor fuit, p. 72. Duk. Inest autem et ibi error, quo primus Scirophorionis dies *vigesimo primo* Iunii, primusque Hecatombaeonis *vigesimo primo* Iulii respondisse dicitur. Emenda *undecimum* Iunii, *undecimum* Iulii. Sponte id apparet, si a decimo tertio Aprilis die, quo Dodw. recte statuit Munychionem incepisse, mensium dies computaveris; quapropter credideris errorem typographis deberi. Nec tamen vitium ostendisse propterea supervacaneum videatur, quod hinc in Dukeriani Thucydidis marginem irrepsit.

Minus prospere rem egit Demosthenes alterius classis praefectus. Qui, postquam initio Leucadiis aliquid damni attulit, sibi a Messeniis Naupactum habitantibus persuaderi passus est ut Aetolis bellum inferret. Res primum bene cedere videbatur, ubi vero ad interiora et montuosa perventum est, Aetoli de superiore loco exercitum invadere et missilibus petere, Athenienses initio quidem resistere, mox tamen fugientes locorum ignorantia se perdere in silvas non pervias, iisque ab hoste incensis concremari. *Πᾶσά τε ἰδέα κατέστη τῆς φυγῆς καὶ τοῦ ὀλέθρου τῷ στρατοπέδῳ τῶν Ἀθηναίων.* Qui effugere potuerant, Naupactum se contulerunt, deinde, post impetrata ab hoste caesorum, in quibus et alter praetorum Procles erat, cadavera, Athenas profecti sunt, excepto Demosthene, qui ob rem male gestam sibi a populi indignatione cavendum existimavit. Thuc. III. 94-98. Diod. XII. 60. init. Conf. Plut. in Nic. c. 6. p. 526. E.

Eodem fere tempore quo, victoria ad Tanagram parta, Athenienses domum redibant, Lacedaemonii a Trachiniis ad Meliacum sinum habitantibus auxilia rogati, illuc coloniam mittendam censuerunt, quae Heraclea vocata est. Erat ille locus aptissimus ad classes

(1) Legitur vulgo apud Thuc. III. 91. *ἄραντες ἐκ τῆς Μήλου αὐτοὶ μὲν ἔπλευσαν ἐς Ὠρωπὸν τῆς πέραν γῆς κ. τ. λ.* quod ferri non potest. Excogitarunt igitur VV. DD. *τῆς Πειραϊκῆς*, eaque coniectura a nonnullis magno plausu excepta est propter vulgatam scripturam II. c. 23. *παριόντες δὲ Ὠρωπὸν, τὴν γῆν τὴν Πειραϊκὴν καλουμένην ..... ἐδῄωσαν.* At vero multi lectionem ibi vitiosam vocant, corrigentes *τὴν Γραϊκήν*, uti legitur apud Steph. Byz. in v. *Ὠρωπός*. Cuius testimonium minime spernendum est, qui, praeterquam quod sua e Thuc. duxit, etiam nititur Aristotelis auctoritate. Peyronii epistola ad Schaeferum, in qua vulgata defenditur, nec Popponi persuasit, nec Muellero. Equidem scripturam *τὴν Γραϊκήν* praeferam lib. II. c. 23. At vero c. 91. lib. III. aliud remedium adhibendum videtur. Quid? si vulnus immedicabile ense recidamus, verbaque *τῆς πέραν γῆς* tribuamus glossatori, locum scilicet illustranti? Sed vid. Phil. Mus. I. p. 189. sqq.

aedificandas, ibique brevissimus in Euboeam erat traiectus ex Graecia. Quapropter haud vano timore affecti sunt Athenienses, quibus tamen res praeter opinionem cessit. Novos enim accolas continuo Thessali aliique vicini populi infestarunt. Ita et hi, qui initio permulti fuerant, (conf. Wess. ad Diod. l. mox cit. Scylax Perip. p. 596.) deinceps in exiguum numerum decrescentes, facili opera superati sunt. Quo multum etiam tribuit arbitraria et crudelis dominatio, qua plurimi magistratus, a Lacedaemoniis in subditas civitates missi, abuti solebant. Thuc. III. 92. sq. Diod. XII. 59. 77. Strab. IX. p. 428. Scymn. Ch. p. 598. Huds. Hesych. v. *Τραχίς*. Tetigit haec Sancto-Crucius (1) p. 90., quo tueretur suam de Amphictyonibus sententiam. Conf. ad a. 419.

Aetoli victoria elati, *περὶ τὸ φθινόπωρον* (ante 7. Oct.) maiora tentarunt. Qui collectis copiis, sibi Corintho et Lacedaemone missis, quibus Locri, partim sua sponte, partim coacti sese adiunxerant, in regionem circa Naupactum venerunt. Ne igitur illa urbs, Peloponnesiis propter Messenios incolas maxime invisa, nudata defensoribus hosti succumberet, Demosthenes ibi degens Acarnanibus persuasit ut suppetias ipsi ferrent. Quo facto Aetoli urbem se expugnaturos desperantes recesserunt; Peloponnesii autem domum non redierunt, Ambraciotis quippe auxiliaturi, qui expeditionem adversus Amphilochicum Argos parabant. Thuc. III. 100-102, cui addatur vitiosa narratio apud Diodorum XII. 60.

Ab Atheniensibus circa Siciliam per totam aestatem bellatum esse videtur, quamquam nihil memorabile accidit, nisi quod escensione in Locridem facta, Athenienses ibi castellum expugnaverunt. Incepta iam hieme in Siciliam transmissi Inessam oppidum frustra tentarunt; unde quum decederent, Syracusani novissimum agmen aggressi haud paucos occiderunt. Transvecti rursus in Locridem Italorum, ibique incolis ad Caecinum fluvium superatis, cladem in Sicilia acceptam repararunt. Thuc. III. 99. 103. Poppo Prolegg. I. 2. p. 552.

Chalcidensium ab Atheniensibus defectionem, cuius meminit Corsinus, nos praetermisimus, quippe nulli antiquo scriptori memoratam, nisi Scholiastae ad Aristoph. Equitt. vs. 237., cuius perturbata eque plurium scriptorum testimoniis commixta narratio perparvi aestimanda videtur; idque in primis, quod vitiose scriptum Euclis Archontis nomen corruptelae indicium praebet. Conf. ad a. 427. p. 22. not. 1. Aristophanis autem versus intelligendi videntur de Chalcidensibus in Thracia habitantibus, quos Atheniensibus eo tempore hostiles fuisse, patet ex Thuc. IV. 7.

Deli lustratio, Thuc. teste III. 104. coll. I. 8. Strab. X. p. 486. (2), facta est huius anni

---

(1) *Des anciens Gouvernements fédératifs.* Paris 1799.

(2) De sancta Deli religione, quam vel canes polluere videbantur (Strab. l. l. Plut. Quaest. Rom. c. 111. p. 290.); deque variis huius insulae lustrationibus cff. Interpp. ad Thuc. ll. ll. et ad Herod. I. 64. quique ab iis citantur, Spanhemius ad Callim. Hymn. in Del. vs. 1. et Dorvillius in Misc. Obss. VII. p. 1. sqq. Add. I. Lomeyerus, in Epimenide, p. 297. 361. A quibus tamen omnibus vereor ne neglectus sit Plutarchus in Sept. Sapient. Conv. c. 14. p. 158. A.; cuius loci explicatio, quam probante Wyttenbachio dedit Marklandus ad Max. Tyr. Diss. XXXVIII. 3. utrum recipienda sit, videat lector. Probabilem vero dixerim Dorvillii opinionem, qua Laconicum Apophth. p. 230. n. 1. Pausaniae Cleombroti filio abiudicatum, iuniori Pausaniae tribuatur.

hieme. Anonymus in vita Thuc. § 8. addit *περὶ τὸ ἕβδομον ἔτος*. Quae verba quo modo sint accipienda, dubitari potest; quae a Clintono ita explicantur, ut sextus B. P. annus fere completus, septimus dicatur. Magis placet Dodwelli ratio, qui Ann. p. 73. B. ostendit, Anonymum Archontes computasse; Euthydemus enim septimus est a Pythodoro. — Causam, ob quam Athenienses Delum lustrandam censerent, *κατὰ χρησμὸν δή* (vid. ad a. 422.) *τινά* fuisse dicit Thucydides; Diodorus XII. 58. autem in eo quaerit, quod Athenienses, quum diutius pestilentia affligerentur, hanc calamitatem in Apollinem referrent, qui Lacedaemoniis pollicitus esset se vocatum et non vocatum illis adfuturum (Thuc. I. 118. unde Plut. de Pyth. Orac. c. 19. p. 403.). Quo minus vero credamus e lustratione morbi levamen quaesivisse Athenienses, prohibet Thuc. III. 87., ex quo discimus, pestilentiam circa haec tempora cessasse; ut putem, Atheniensium magistratus morbi decrescentis occasione usos fuisse, qua et ponendo in eius honorem signo (Paus. I. 3. § 3.), et lustranda sacrata insula, Deum placare conarentur, ne superata vixdum morbi calamitate in aliam relaberentur. Eadem occasione, quamquam aliquanto post, Thargelione mense (si credimus Boeckhio affirmanti in Oec. Civ. II. p. 217. sq. Corp. Inscriptt. I. p. 255.) ludi instituti sunt quinto quoque anno celebrandi. Quos prima vice maiori solemnitate actos, et propter ea Chorum, qui iam antea in hanc insulam mitti solebat, splendidiore apparatu instructum fuisse, non temeraria videtur suspicio. Itaque, quamvis tacente Plutarcho de insulae lustratione, ubi splendidum Niciae choragium commemorat (c. 3. p. 524.), nihil tamen impedit, quo minus putemus, Niciam choragi munere saepius functum, hac opportunitate omnes reliquos non tantum, sed vel se ipsum, superasse. Quod autem contendit Boeckhius Oec. Civ. II. p. 230. Corp. Inscrr. II. p. 261. theorias ante Niciam in Delum ductas, de quibus Plutarchus l. l. loquitur, ab hoc demum anno, in quo nunc versamur, esse numerandas; minorem quam par esset, rationem habuisse suspicor eorum quae apud Thucydidem l. l. leguntur: *ὕστερον* (post antiquissima nempe tempora) *δὲ τοὺς μὲν χοροὺς οἱ νησιῶται καὶ οἱ Ἀθηναῖοι μεθ᾽ ἱερῶν ἔπεμπον, τὰ δὲ περὶ τοὺς ἀγῶνας καὶ τὰ πλεῖστα κατελύθη ὑπὸ ξυμφορῶν, ὡς εἰκός, πρὶν δὴ οἱ Ἀθηναῖοι τότε τὸν ἀγῶνα ἐποίησαν καὶ ἱπποδρομίας, ὃ πρότερον οὐκ ἦν.*

Horum ludorum commemoratio aptam nobis praebet occasionem agendi de comoediis Eucle Archonte actis; nam de tragoediis nihil constat. Magnis Dionysiis (1), (Schol. Acharnn. vs. 377.) in lucem edita est Aristophanis comoedia, cui nomen *Βαβυλωνίων* inditum fuisse a choro ex servis molitoribus composito, G. Dindorfius suspicatus est, frgmm. Arist. p. 56., sed vehementer improbante Fritzschio de Babyloniis p. 17. sq. Qui

(1) Quorum celebrationem octavum inter decimumque et sextum Elaphebolionis diem ponendam esse, docent vett. scriptt. loci citati a Schneidero de Theatro Att. not. 29. p. 36.

vir doctus, dum negat Aristophanem chorum componere potuisse ex infimae sortis mastigiis, ex optimatibus patriae salutem strenue defendentibus chorum constitisse suspicatur: Babylonios vero intelligit legatos e diversis sociorum civitatibus Athenas missos, qui tamquam servi et *βαρβαριστί* incedentes in scenam prodierint. Comoediae argumentum politici sane generis fuisse videtur, multique magistratus in ea exagitati sunt, tum alii, tum vero etiam Cleon. Sed illa derisio facta coram magna peregrinorum, ad pendenda tributa Athenis versantium, multitudine (cf. Acharn. vs. 476. sqq. Isocr. de Pac.) auctori magno constitit, sive is fuerit ipse Aristophanes, quod nonnulli volunt, sive potius Callistratus. Quae quidem quaestio cum altera, de Acharnensium *διδασκάλῳ*, ita coniuncta est, ut ex ea prorsus sit dirimenda. Fritzschius autem, ubi Quaestt. Aristoph. p. 299. obloquitur C. F. Hermanno (1), putanti Callistrati nomine in scenam ab Aristophane commissos fuisse Acharnenses, eo in primis argumento utitur, quod Acharnensium auctor vs. 282. dixerit:

Ὡς μεμίσηκά σε Κλέωνος ἔτι μᾶλλον, ὃν
Κατατεμῶ 'γὼ τοῖς Ἱππεῦσίν ποτ' ἐς καττύματα.

Quum enim constet Equites ab Aristophane suo nomine esse editos, ex hoc versu apparere, non sine quadam veri specie, contendit, Acharnenses eidem poetae qui Equites docuerit, esse adscribendos, atque adeo Acharnn. versum 355. sqq.

Αὐτός τ' ἐμαυτόν, ὑπὸ Κλέωνος ἅπαθον
Ἐπίσταμαι διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν· κ. τ. λ.

unice Aristophanem spectare, qui de iniuriis questus sit, quas ipse propter doctam Babyloniorum comoediam a Cleone perpessus fuerit. At nititur Fritzschii disputatio falsa, ut mihi quidem videtur, opinione, poetam verbis: *ὃν κατατεμῶ 'γὼ τοῖς Ἱππεῦσιν. κ. τ. λ.* fabulam indicare voluisse, quam quidem fortasse animo meditabatur, spectatoribus vero prorsus ignotam. At nos, quibus compertum est, quantopere Aristophanes in fabula *Ἱππῆς* inscripta, Cleonem insectatus fuerit, hunc locum legentes, celeberrimae fabulae continuo meminisse, nemo erit qui miretur: contra ea, ab Atheniensibus intelligi omnino non potuerunt haec verba, nisi de ipsis Equitibus, quorum auctoritate (cf. vs. 7. et Eqq. pluribus locis) fretus, poeta iam nunc Cleonem aggressus, maiora etiam in posterum minabatur. Neque ullum reperire potui exemplum, e quo pateret, poetam aliquem in scena hoc illudve drama animo adhuc conceptum, tali modo spectatoribus pollicitum fuisse. Haec igitur quum satis probent, locum a Fritzschio citatum nequaquam de comoedia, *Ἱππῆς* inscripta, intelligendum esse; non opus est, ut demonstremus, etiamsi Aristophanes illud drama se daturum indixisset, inde nondum sequi, ut Callistratus Acharnenses docere non potuerit. Quidni Aristophanes sperare poterat, Calli-

---

(1) Progymn. Aristoph. I. p. 19. ubi utriusque opinionis fautores enumerantur.

stratum eamdem sibi operam praestiturum, quam toties ab eo expertus fuerat? Nec magis mirandum, si Callistratus, primum a suscipiendo munere non alienus, mox tamen, quum fabula in summam lacessendi petulantiam crevisset, Cleonis autem auctoritas post Sphacteriae expugnationem insigniter aucta fuisset, iterum se periculis obiicere noluerit, in quae nuper ob datos Babylonios adductus, non nisi aegre se expedire potuerat. De reliquis, quae Fritzschius Hermanno opposuit, ne in longiorem annotationem evagemur, animadvertisse sufficiat, multa in utramque partem posse disputari; Fritzschii vero opinionem multo gravioribus obnoxiam mihi videri molestiis, quam quibus adversarii sententia prematur. Prius vero quam ab hacce comoedia discedamus, verbulo quaedam dicenda restant de Clintoni emendatione *ΚΔ' ἔτεσι πρὸ τοῦ Εὐκλείδου*, cui nequaquam adversari debuerant G. Dindorfius p. 56. eumque secutus Rankius p. 330. not. 10. Namque, ut recte animadvertit Hanovius, Exercitt. p. 5., a Dionysiis Urbanis Ol. LXXXVIII $\frac{2}{3}$. *affectae* ad XCII $\frac{2}{3}$. *ineuntem*, ne integri quidem sunt viginti et quatuor, nedum viginti et quinque anni.

Fragmentum, quod ex Hermippi *Φορμοφόροις* servavit Athenaeus I. 27. C., hanc comoediam anno 427. iuniorem probat mentione seditionis, qua Corcyraei eo anno vexati sunt, priorisque in Siciliam expeditionis. Sitalces vero, qui anno 424. supremum diem obiit, vivus commemoratur; nec non silentium, quo poeta praeteriit Niciae maritimam expeditionem, hoc loco opportune celebrandam, fabulam Eucli Archonti adiudicare videtur. Cf. Meinekius Q. S. I. p. 31.

A. C. n. 425. Ol. LXXXVIII.

3. EUTHYDEMUS.
4. STRATOCLES (1).

Praeclaram de Peloponnesiis Aetolisque a Demosthene reportatam victoriam, huic anno a nobis adscriptam, alius fortasse ad superiorem exeuntem referendam censeat,

(1) Archontis memoriam a Strabone VIII. p. 551. servatam coniicit Wesselingius ad Diod. XII. 60., levique mutatione ἐπὶ Στρατοκλέους legi iubet. Clintono tamen non persuasit; nec leve sane illud obstat, quod vir cel. a Diodoro suo in errorem ductus expeditionem in Siciliam Stratocle Archonte susceptam putaverit, quum priori Archonti sit adscribenda. Palmerius, ut tolleret vitium, quo verba Strabonis laborant, coniecit Σοφοκλέους. Hunc Eurymedontis collegam agnoscit Thuc. IV. 2. Neque est quod miremur duos tantum duces a Strabone enumeratos esse; tertius enim Pythodorus praemissus fuerat. Conf. infra, pag. 32.

cui, si quis sit, non admodum refragor. Maximi illa momenti fuit, qua labantes in illis regionibus Atheniensium res ita restitutae fuerunt, ut Ambraciotae duplici clade afflicti prorsus subacti fuissent, nisi Acarnanes, quamquam initio strenue auxiliati Demostheni, postea vero, *socios* Athenienses *vicinis* Atheniensibus praeferentes, hunc praetorem ulterius sequi recusassent. Qui neque in eo substiterunt, sed centum annorum foedere cum Ambraciotis cladi superstitibus facto, neque Atheniensibus nec Peloponnesiis sese addicere decreverunt. Itaque Peloponnesii, reditu ab Atheniensium praetore impetrato, in patriam profecti sunt, ipseque Demosthenes priorem cladem satis reparasse sibi visus, in popularium adspectum redire ausus est. Thuc. III. 105-114. Diod. XII. 60.

Interea Laches, Siculae expeditioni praefectus, post escensionem in Himeraeorum agros factam Rhegium advectus, ibi successorem Pythodorum offendit. Athenienses a Siculis sociis maiora auxilia rogati, hunc cum paucis navibus praemiserant, maiorem classem apparantes. Thuc. III. 115. Quae fuerit causa, ob quam Lacheti imperium ademtum fuerit, non tam certo constat, quam putavit Poppo ad l. l., paulo iniquius de hoc praetore iudicans in Prolegg. I. 2. p. 84. Vulgo autem putatur Laches peculatus damnatus fuisse, nimia fide tributa Scholiastae testimonio ad Vespp. vs. 240. At plura ibi turbata sunt. Haud dubie illud scholion e tribus conflatum est diversis vett. scriptorum testimoniis, singulis rem bene explicantibus (1), sed temere coniunctis a Grammatico, qui operi coronam imposuit inepto additamento: *εἰκὸς γοῦν μετακληθῆναι αὐτὸν ἐπὶ τὴν κρίσιν ἧς νῦν ὁ κωμικὸς μνημονεύει.* Itane Laches huius anni hieme revocatus fuit, ut de eo *idem* fieret iudicium, quod Aristophanes anno 422. dixit *ὡς ἔσται Λάχητι νυνί?* Id credat, qui velit. Sin vero aliquis putet, illo versu (240.) Lachetem in ius vocatum atque amicorum ope vix absolutum indicari, nec potius Aristophanes existimandus sit significasse, qualem ipse huius iudicii exitum speraret; id tamen refragari non poterit, totam rem ibi proponi, quasi illo ipso tempore agatur, neque cogitari posse de aliqua lite, ante tres annos intenta. Vid. et vs. 836. 913. At, latuit Laches fortasse seque populi indignationi subduxit, ut nuper Demosthenes; mox Athenas redux, tamen expertus est malam civium in se voluntatem. Nihil minus; proelio enim ad Delium anno 424. commisso imperator interfuit. Conf. Plat. Sympos. p. 221. B. Lach. passim, ibique interpp. Porro nihil in Acharnn. Equitt. Nubb. invenitur, ex quo suspiceris Lacheti quemquam accusatorem molestum fuisse. Equidem, etsi Lachetem surreptarum pecuniarum prorsus immunem vocare non ausim; prohibent enim frequentes ac perspicuae in Vespis huius rei significationes; putaverim tamen Lachetem, fortissimum militem

(1) Quod legitur *πρὸ τριῶν* (Γ) natum suspicor e scripturae compendio δ (*πρὸ τεσσαρῶν*). Sin vero Siebelisii ad Philoch. fragm. p. 58. n. 90. explicandi ratio, qua nihil mutatur, sed post *ἐτῶν* interpungitur, magis placeat, non intercedo. A Lenzio perperam hoc fragmentum ad Ol. 88. 2. refertur, cuius errorem corrigere neglexit Siebelisius.

suisque civibus satis probatum, incertam quamdam ob causam imperio destitutum (1), mox Athenas advenisse, ibique tranquille degisse, donec divitiis suis in bello adversus Siculos paratis, civium sibi invidiam conflavit. Ea occasione usus esse videtur Cleon (Schol. ad Vesp. 240.) ut, qua sibi viam ad rempublicam straverat ratione, magnis nimirum viris calumniando, (conf. Comm. cit. p. 57. 228. Aristoph. Eqq. initio,) eadem adeptam auctoritatem conservaret.

Quaecumque vero Lacheti abeundi fuerit causa, ipso absente res circa Siciliam non eo felicius cesserunt. Siquidem Pythodorus ad Locrorum castellum, a Lachete antea expugnatum (Thuc. III. 99.) profectus, proelio victus discedere coactus est. Thuc. III. 115. fin.

Cogimur autem hic Kruegeri annotatione ad Clintoni verba de Aetnae eruptione, ut ab instituta rerum narratione iterum deflectamus. Etenim exorta est lis aliqua inter viros doctos de sensu, quo Thucydidis verba (III. 116.), *λέγεται δὲ πεντηκοστῷ ἔτει ῥυῆναι τοῦτο μετὰ τὸ πρότερον ῥεῦμα*, accipi oporteat. Putat Dodwellus *τῷ προτέρῳ ῥεύματι* intelligi eruptionem, quae circa Persica tempora accidit, adeo ut haec fuerit secunda, tertia Ol. XCV. 1. A.C. 400. sit adscribenda; ex quo porro collegit, Thucydidem post illud tempus in conscribendis historiis occupatum fuisse. Alii maiori iure statuerunt: eruptionem, a Thucydide vocatam *τὸ πρότερον ῥεῦμα*, Historico fuisse e tribus quas enumerat secundam, tertiam autem illam, quae hoc anno accidisse memoratur. Non addidit annorum spatium, quod inter primam, *ἀφ' οὗ Σικελία ὑπὸ Ἑλλήνων οἰκεῖται* (Ol. V. 3. A. C. 759.) (2), alteramque eruptionem intercessit, quoniam illud propter summam antiquitatem ignoravit. Restat tamen difficultas, quod altera illa eruptio secundum marmor Parium evenit Ol. LXXV. 2. (479.); quam differentiam quatuor annorum Boeckhius Expl. Pind. I. p. 224. ita tollere conatur, ut dicat, Thucydidem rotundum numerum pro incerto posuisse; deinde, eruptionem per plures annos continuatam esse. Aliam viam ingressus est Kruegerus, locum Thuc. emendans, ut pro *ν'* (*πεντηκοστῷ*) legamus *νε'*. Prius sane Boeckhii argumentum admittendum non videtur. Conf. Poppo ad Thuc. l. l. et in Prolegg. I. 2. p. 503. sqq. Ceterum haec eruptio referenda ad exeuntem Elaphebolionem (ante 2. Apr.), quo Thucydideae hiemes finiuntur, ver autem verum iam inceperat. Conf. Prooem. p. 6.

In viam redeamus, et interruptam rerum hoc anno gestarum narrationem persequamur. Temporum autem ordo postulat, ut tribus velut verbis meminerim Messanae, nuper

---

(1) Quodsi Dodwelli sententia, Strategos Gamelione mense creatos esse, admittenda videatur, quamquam vehementer de hac re dubito, legitimo tempore Laches imperio se abdicavit.

(2) Ex auctoritate marmoris Parii, Ep. 31. collato Thuc. VI. 3. — Eusebianus Codex Hieronymi Syracusas conditas refert ad Ol. XI. 4. A. C. 733. Sed marmoris rationes praeferendas esse probavit Boeckhius ad Corp. Inscr. II. p. 335. Eusebium sequitur Clint. in Append. p. 278. Cf. etiam C. F. Hermannus Ant. Gr. § 83 n 2.

Atheniensibus conciliatae, nunc vero ab iis deficientis. Ne populari Messanorum factioni opitularentur Rhegini, in horum agros eodem tempore a Syracusanis Locrisque irruptio facta est, Thuc. IV. 1., ubi verba, *ἵνα μὴ ἐπιβοηθῶσι τοῖς Μεσσηνίοις*, collatis prioribus, *Συρακοσίων δέκα νῆες..... Μεσσήνην..... κατέλαβον, αὐτῶν ἐπαγαγομένων, καὶ ἀπέστη Μεσσήνη Ἀθηναίων*, suspicioni favent, maiorem Messanorum partem Atheniensibus bene voluisse, sed ab optimatibus peregrinos in civitatem fuisse adductos, quorum opera prohiberent, ne populus urbem Atheniensibus servaret. Acciderunt haec *περὶ σίτου ἐκβολήν*, quae quum *τῆς ἀκμῆς* prior sit (conf. Thuc. c. sq. et nos ad a. 428.), nec tamen eam longe antecedat, ad affectum ver referenda videtur.

Admodum fluctuare videtur Dodwelli ratio, qua omnia ad Pyli occupationem quintamque Peloponnesiorum in Atticam irruptionem pertinentia, suis temporibus assignavit. Quod quum harum rerum peritis satis manifestum fore putem, modo cel. viri argumentationem in iudicium vocaverint, sufficiet meam opinionem indicasse, omissa diserta errorum demonstratione, quos Dodwellus commisisse videtur. Circumspicienti vero mihi, unde elici posset accurata de his rebus temporis definitio, nihil prius se obtulit, quam Niciae Cleonisque de *στρατηγίᾳ* lites, posteriorisque electio. Evanuit enim, quam foveram, spes, fore ut festum, cuius Thuc. c. 5. meminit, nobis occasionem praeberet lucis aliquid his tenebris afferendi; hic enim si quid certi statui posset, tolleretur maxima difficultas. Attamen, quamvis firmo hoc fundamento niti prohibear, prorsus desperandum non censeo, quin probabilia certe proferre liceat.

Nimirum in Aristoph. Equitt., quae comoedia seq. anni Gamelione mense acta est, vocatur Cleon (vs. 2.) *νεώνητος;* queriturque Demosthenes de sene, qui (vs. 43.):

τῇ προτέρᾳ νουμηνίᾳ
Ἐπρίατο δοῦλον βυρσοδέψην Παφλαγόνα.

Populus per senilem herum, Nicias et Demosthenes publicarum rerum curatores per servos indicantur. Probanda igitur VV. DD. sententia, qui Aristoph. verba de Cleone nuper Stratego electo accipi iubent. Quae verba si cum vs. 54. sqq. comparemus, apparet illam *στρατηγίαν* intelligi, quum Pylo a Demosthene munita, sed diutius a Lacedaemoniis oppugnata, Athenienses Cleonem illuc miserunt. Qui postquam advenit, cito Spartanos coëgit in deditionem venire. Itaque sibi laudem peperit Cleon, quae Demostheni debebatur. Conf. Schol. Eqq. vs. 1197.

Quo vero tempore illa electio facta sit, (nam verba *τῇ προτέρᾳ νουμηνίᾳ* recte a Schol. explicantur *νεωστί*, idemque significant, quod vs. 54. legitur, *πρώην*) non dubium erit, post locum e Nubibus, vs. 572. sqq. allatum, qui hic describendus videtur:

Εἶτα τὸν θεοῖσιν ἐχθρὸν βυρσοδέψην Παφλαγόνα
Ἡνίχ' ᾑρεῖσθε στρατηγόν, τὰς ὀφρῦς ξυνήγομεν

Κἀποιοῦμεν δεινά· βροντὴ δ' ἐῤῥάγη δι' ἀστραπῆς·
Ἡ Σελήνη δ' ἐξέλειπε (1) τὰς ὁδούς· ὁ δ' Ἥλιος
Τὴν θρυαλλίδ' εἰς ἑαυτὸν εὐθέως ξυνελκύσας
Οὐ φανεῖν ἔφασκεν ὑμῖν, εἰ στρατηγήσει Κλέων.
Ἀλλ' ὅμως εἵλεσθε τοῦτον. κ. τ. λ.

Addit Scholiastes: *ἐπειδὴ ἔκλειψις ἐγένετο σελήνης τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπὶ Στρατοκλέους βοηδρομιῶνι.* (Cf. Rankius l. c. p. 376. sq.) Novi equidem Dodwellum Ann. Thuc. p. 77. A. pro *βοηδρομιῶνι* legere voluisse *ἐλαφηβολιῶνι;* sed temere eum hoc voluisse apparet. Namque *lunae* defectum transtulit ad *solis* eclipsin, teste Thuc. IV. 52. Elaphebolione mense a. 424. observatam; at nulla tunc erat causa, cur Cleon Strategus crearetur. Conf. Hermannus ad vs. 573. et ad Schol. vs. 577.

Pollicitus erat Cleon, intra viginti dies (Thuc. c. 28. § 4. ibique Poppo) se capturum Peloponnesios, ac stetit promisso. Vertente Boëdromione redierit, necesse est; namque Athenienses contra Corinthios profecti sunt *τοῦ αὐτοῦ θέρους μετὰ ταῦτα εὐθύς*, (Thuc. IV. 42.) itaque nondum finito hoc mense. Eodem mense fere medio electus sit; interiectis aliquot diebus fatali clade affecerit hostes; retro computando duos et septuaginta dies (c. 30.), tempus lucrabimur, quo, priori navali proelio commisso, Spartani in Sphacteria obsessi fuerint, idque adscribendum erit affecto Scirophorioni (ante diem 29. Iunii). Eatenus igitur mihi cum Dodwello convenit, quod dicat serius illa accidere non potuisse: idque etiam eo confirmatur, quod legati, post priorem navalem pugnam Athenas missi, illic degerint Euthydemo adhuc Archonte. Philoch. ap. Schol. ad Lucian. Timon. c. 30. Sed nullo modo eidem viro cel. assentiri licet, contendenti pugnam illam navalem Thargelione mense factam fuisse; quod si verum esset, Cleon Metageitnione reportasset victoriam, qui tamen, ut vidimus, non ante Boëdromionem factus est praetor. Itaque *neque ante nec post tempus a nobis indicatum* Spartani in Sphacteria obsideri coeperunt.

Hisce praemissis interruptum narrationis filum repetamus. Ex iis, quae ad h. a. et 428. dicta sunt de *σίτου ἐκβολῇ* et *σίτῳ ἀκμάζοντι*, apparet, quintam Peloponnesiorum irruptionem ad Thargelionem referendam esse. Thuc. IV. 2. His per quindecim dies omnia in Atticorum regione depopulantibus, sed acriori quam tempestas ferret frigore et inopia laborantibus, nuncius affertur, Pylum ab Atheniensibus munitam esse, quo audito quam celerrime in Peloponnesum revertuntur. Thuc. IV. 6. Diod. XII. 61.

Athenienses enim eodem fere tempore classem in Siciliam emiserant, ducibus Eurymedonte et Sophocle Sostratidae filio. Iisdem vero mandatum erat, ut prius adiuvarent Corcyraeos ab exsulibus obsidione pressos; eaedemque naves Demostheni, quamquam

---

(1) Nullam huius loci rationem habuit Doct. Heisius, l. c.

privato, permissae erant, quibus Peloponnesum infestaret. Qui quum Pylum occupare vellet, classi vero praefecti obniterentur, procella interim exorta naves Pylum compulit; nataque militibus muniendi loci cupiditate, munitiones maxime necessarias Demosthenes perfecit intra sex dies; deinde relictus ibi cum quinque navibus, reliquis munimentis viginti dies impendit, Lacedaemoniis festo copiarumque absentia impeditis, quo minus statim hosti resisterent. Thuc. IV. 2-5. Diod. l. c. Strabo VIII. p. 551. Themist. de Pac. ad Val. p. 138. ed. Par.

Spartani vero, revocatis copiis ex Attica, cum *περιοίκοις* quidem statim adversus Pylum tenderunt; reliquorum vero Lacedaemoniorum, sociorumque per nuncios arcessitorum tardior fuit profectio, ut satis magnum temporis spatium intercesserit, ante quam Demosthenes classe optime instructa, pedestrique exercitu terra marique interclusus est. Praemiserat hic clam duas naves, quae Eurymedonti nunciarent, quanto in periculo versaretur. Sed Lacedaemonii, omne praesidium in celeritate ponentes, quo citius Demosthenem opprimerent, Sphacteriam occuparunt, ut a portus introitu Athenienses obsessis auxilio venientes arcerent. Variis deinceps Peloponnesiorum aggressionibus a Demosthene repulsis, tertio post Peloponnesiorum adventum die Athenienses advehuntur, mox portum vi ingressi, Spartanos, qui in Sphacteriam transierant, intercludunt. Factum illud est, ut supra ostendimus, paulo ante quam Stratocles Archontis munus obiit, nec metuo ut mea sententia satis se commendatura sit aequo lectori, qui reputet *tarde* ad Pyli recuperationem accessisse Peloponnesios. Thuc. IV. 8-13. Diod. XII. 61. sq. Plut. de glor. Ath. c. 3. p. 347. coll. c. 7. p. 349. Paus. I. 13. § 4. Schol. ad Equitt. vs. 55. ubi multa turbata et vitiosa inveniuntur.

Spartanis audita clade placuit, ut Magistratus se in castra conferrent, qui quum animadverterent inclusis nullo pacto succurri posse, inducias ab Atheniensium praetoribus impetrarunt, ut legati de pace Athenas mitterentur. Sed frustra illi profecti sunt, elatam secunda fortuna multitudinem quum magis etiam incitaret Cleon. Legati igitur intelligentes, conditiones sibi impositas, magnae Lacedaemoniis offensioni apud socios futuras, infecta re discesserunt. Thuc. IV. 15-22. Diod. XII. 63. Legationis princeps fuit Archeptolemus, cuius meminit Aristoph. in Equitt. vs. 791., ubi etiam Cleoni exprobratur, quod paci restitit. Nugator Schol. ad h. vs. neminem morabitur. De eadem legatione cff. Scholl. ad Equitt. vs. 666. Vespp. 41. Pac. 648., ubi locus invenitur e Philochori Atthide, quem et vidit Schol. ad Luc. Tim. c. 30., cuius verba ex Schmiederi recensione haec sunt: *Ἐπέστη (ὁ Κλέων) καὶ τῇ πρὸς Λακεδαιμονίων εἰρήνῃ ὡς Φιλόχορος προσθεὶς ἄρχοντα Εὔθυνον, κ. τ. λ.* Quae verba difficultatem moverunt Hemsterhusio, ex qua se expedire cupiens, de subsortitione Archontum cogitavit. Cf. Philoch. Fragmm. p. 59. Omnia autem optime conveniunt, nostramque sententiam egregie confirmant.

Instauratis igitur ad Pylum proeliis, (Thuc. c. 23.) quum obsidio in longius tempus produci videretur, Atheniensium exercitus fame laboraret, iamque hiems appropinquaret (nam Dodwelli suspicio e ceteris illius erroribus fluxit), Athenienses poenitere coepit, quod inducias non accepissent. Quod videns Cleon, ac metuens, ne populi favorem amitteret, nuncios falsa retulisse contendit, ipsisque Pyli imperantibus calumniatus est. (Aristoph. Equitt. init. vs. 355.) Deinde ipse cum Theagene electus qui exploraret, quo modo res sese haberent, mandatum abnuit, populo persuasit, ut nullis inspectoribus missis, ipsi confestim irent adversus hostes. Ut verbis parcam, ortae de στρατηγίᾳ Niciam inter Cleonemque lites eum eventum habuerunt, ut hic praetor constitutus Pylum advenerit, illo ipso tempore quum a Demosthene omnia ad descensionem faciendam parata erant. Iunctis igitur copiis Athenienses adorti Peloponnesios primum in munitionem se recipere coëgerunt; deinde a Messeniis circumventos, post magnam stragem inter eos editam, in deditionem acceperunt. Ita praestitit Cleon quod pollicitus fuerat, qui post scriptam ad Athenienses epistolam (1) ipse cum captivis Athenas rediit, Boëdromione mense: Pylus Messeniis concessa, qui hoc loco ὁρμητηρίῳ usi Laconiam vastarent. Quibus omnibus permoti Lacedaemonii iterum sed frustra pacem petiverunt. Thuc. IV. 27-41. Diod. XII. 63. Plut. in Nic. c. 7. p. 527. sq. coll. comp. Nic. et Crass. c. 2. p. 566. Aristoph. ll. cc. Paus. IV. 26. § 1. Captivorum scuta, quorum meminit etiam Aristoph. Eqq. vs. 843., Pausaniae etiam aetate asservabantur. Conf. Lib. I. 15. fin. Cleon autem splendida hac victoria, ad quam posteriori tempore Rhetores frequenter respexerunt (Libanius v. c. et Max. Tyrius), maximam sibi apud populum adeptus est auctoritatem, atque ab hoc in primis inde tempore insolentissimum se praestitit. Conf. Aristoph. passim. Plut. in Nic. c. 8. p. 528.

Temporum ordine servato, Thucydides occupatae Pyli narrationi interposuit earum rerum mentionem, quae interim in aliis regionibus gestae sunt. Quod, etsi pro suo instituto recte fecisse censendus est, et a Dion. Halic. (Iud. de Thuc. c. 13. p. 840. (2)) criminationibus vindicandus; ego tamen illa hic demum adiicienda putavi, in eo praecipue occupatus, ut ostenderem, quo modo in definiendo rerum ad Pylum gestarum ordine progressus fuerim. Videbantur enim nec clades in Thracia ab Atheniensibus accepta Simonide duce (Thuc. IV. 7.), nec pugnae Siculos inter et Athenienses vario Marte commissae, illius esse momenti, ut earum commemoratione institutus disputationis ordo impediretur. De quibus igitur sufficiat obiter monuisse; adiecto tamen, post Siculam Naxum (cf. Poppo Prolegg. I. 2. p. 529. sq.) a Messanis, horumque urbem ab Atheniensibus, frustra tentatas, posteriores Rhegium navigasse; quod quum factum esset, Siciliotas

(1) De qua vide Schol. ad Nub. vs. 599. Menag. ad Diog. Laert. III. sg. 61.

(2) Conf. autem Poppo Prolegg. I. 1. p 71. sq. Krueg. in Praef ad Dion. Historiogg. p. xxxi. sq.

reiecto Atheniensium auxilio bellum privatim continuasse. Thuc. IV. 24-26. Mari autem nondum a bello cessarunt Athenienses. Conf. Thuc. IV. 48. fin.

Statim post Cleonis reditum, sub finem aestatis nova expeditio suscepta est adversus Corinthios, quos Nicias acri proelio ad Solygeum collem in Isthmo situm equitum maxime auxilio superavit. Mox autem animadvertens e vicinis oppidis plures hostibus auxilio venire, ut cadavera reciperet victoriae renunciavit, inque vicinas insulas traiecit. Brevi tamen rediit, Corinthiorum agros iterum vastavit, deinde tentata Methone regionesque circa Troezena, Halias et Epidaurum sitas depopulatus, domum revertit. Thuc. IV. 42-45. Diod. XII. 65. Plut. in Nic. c. 6. p. 527. Aristoph. Equitt. vs. 592. sqq. ibique Schol. Polyaeni fides (I. 39. 1.) elevatur iis, quae leguntur ap. Popponem ad Thuc. l. c.

Eodem, quo Nicias Athenis solvit, tempore Eurymedon et Sophocles Pylo ad Corcyram appulerunt. Exsules, qui ex monte Istone oppidanos vexabant, superati Atheniensibus se tradiderunt, nulla fide popularibus suis tributa. A quibus turpissima fraude circumventi violant conditiones, quibus in deditionem accepti fuerant. Itaque praetores, qui in Siciliam navigantes, eos interfectos malebant, quam ut ab aliis Athenis deportarentur, arbitrium de captivis reliquerunt ipsis Corcyraeis, a quibus atrocissimum de exsulibus sumtum est supplicium. Thuc. IV. 46-48. Polyaen. VI. 20.

Extrema denique aestate (circa 26. Sept.) Athenienses Naupacti habitantes, ab Acarnanibus adiuti, Corinthiis eripuerunt Anactorium oppidum, quod illi a. 432. per fraudem ceperant. Thuc. IV. 49. coll. I. 55.

Docta hoc anno Lenaeis Aristophanis comoedia *Ἀχαρνῆς*, qua victor fuit; aemulis Cratino *Χειμαζομένοις*, et Eupolide *Νουμηνίαις*. Conf. Clint., qui satis iam dixit de errore Scaligeri in *Ὀλυμπ. ἀναγραφῇ*, et Musgravii in Chron. Scen., Archontem Euthymenem, duodecim annos vetustiorem, cum huius anni Eponymo Archonte confundentium. Sic et Rankius l. c. p. 345. Frischlini obvenit errori, quem haud minorem vocaveris. Cogitatione enim descenderat vir doct. ad Siculum usque bellum, eoque tempore, quo fabula ageretur, Lamachum iam mortuum contendebat. Idem Rankius, Babyloniorum comoediam apte huc conferens (cf. Schol. ad Acharn. vs. 356. 477.), post alios etiam Reiskium refellit, ubi, futilissimam Anonymi vitae scriptoris (1) auctoritatem fortasse secutus, hancce comoediam Equitibus uno anno posteriorem ratus est, ut vel ipsa poetae verba mutare ausus sit (2). Missa igitur Didascalica nota, ob corruptum Archontis nomen a viris doctis varie exagitata, Rankius ex ipso dramate probavit, illud anno 3.

(1) Pag. XIII. Kust. *γράψας κατ' αὐτοῦ τοὺς Ἱππέας... αἴτιος αὐτῷ γέγονε ζημίας πέντε ταλάντων, ἃ ὑπὸ τῶν ἱππέων κατεδικάσθη, ὥς φησιν ἐν Ἀχαρνεῦσιν.* Cf. vs. 5. et C. F. Hermann. Progymn. I. p. 6.

(2) Ad Aristoph. Acharnn. 301. ubi pro *κατατεμῶ* scribendum esse censuit *κατέταμον*: vid. ad. a. 426.

Ol. LXXXVIII. in certamen commissum fuisse. Et primum quidem solvit difficultatem, quae inde oritur, quod in Acharnn. legitur, vs. 254:

Ἕκτῳ σ' ἔτει προσεῖπον, ἐς
Τὸν δῆμον ἐλθὼν ἄσμενος,
Σπονδὰς ποιησάμενος ἐμαυ-
τῷ κ. τ. λ.

deinde, vs. 854.

Σκέψασθε παῖδες τὴν ἀρίστην ἔγχελυν,
Ἥκουσαν ἕκτῳ μόλις ἔτει ποθουμένην·

in Equitibus vero, posteriore anno doctis, haec verba inveniuntur, vs. 789.

Καὶ πῶς σὺ φιλεῖς, ὃς τοῦτον ὁρῶν οἰκοῦντ' ἐν ταῖς πιθάκναισι
Καὶ γυπαρίοις καὶ πυργιδίοις ἔτος ὄγδοον οὐκ ἐλεαίρεις;
Ἀλλὰ καθείρξας αὐτὸν βλίττεις. κ. τ. λ.

Animadvertenda duplex ratio annorum P. B. computandorum. In Acharnensibus poeta ab invasione in Atticam facta exordiens, belli annos computavit, quorum quinque, sex mensibus additis, ad huius anni Lenaea intercesserant. In Equitibus Archontes enumeravit, quam rationem etiam in usu fuisse iam supra ostendimus. Vid. et Dodw. Ann. p. 117. Fuit autem Stratocles octavus a Pythodoro.

Silens praetereo argumenta, quae duxit Rankius e legatione ad Persarum Regem et ad Sitalcen missa, de quibus iudicium se peritioribus reliquit vir doct. Incertior autem videtur eiusdem coniectura de occasione, qua mulcta Cleoni, Equitum potissimum auctoritate, illata fuerit (1). Maioris certe momenti, quod ultimo loco attulit, argumentum est, ex annuis in Megaridem irruptionibus petitum. Suo loco dictum est de custodia, quam Nicias in Minoa insula collocavit, quo facto incolas omni commeatu prohibuit. Duplicem tamen illam quotannis invasionem non ultra sequentem annum fecerunt Athenienses (vid. ad illum a.). Quum autem Aristophanes in hac comoedia Megarensem spectandum dederit, inopia ita laborantem, ut vel liberos vendere cogatur (vs. 716. sqq.), apparet Acharnenses ad illa tempora referendos esse, quo Megarenses fame oppressi fuerint.

E Cratini Eupolidisque comoediis nullum temporis indicium elici potest, quippe quarum nullum inveniatur fragmentum. Vid. Elmsl. ad Acharnn. argm. et Rankius p. 345. n. 64.

---

(1) Herm. Progymn. in Aristoph. II. p. 43. negat Equitibus poenae irrogandae *ius* fuisse, quod Grammatici per coniecturam tantum ex Aristophanis verbis collegerint. Putat autem, Equitum in B. P. meritis effectum esse, ut quidquid unanimi consensu vellent, etiam nullo legitimo iure adiuti, a plebe impetrare potuerint.

Aristophaneum vero drama, quum optimo iure ad hunc annum referatur, simul de nonnullarum Euripidis fabularum temporibus eatenus certiora docemur, ut eas hoc anno priores fuisse intelligamus. Quarum aliquam multas quum in sua comoedia perstrinxit poeta, tum complures aperta parodia additisque nominibus traduxit. Conff. praecipue vss. 393. sqq., ubi deinceps prodeunt: Oeneus, Phoenix, Philoctetes, Bellerophon, Telephus, prae ceteris exagitatus, Thyestes, e Cressis fabula desumtus (1), Ino. Alias tacita irrisione tetigit; cuius exemplum praebet vs. 119., ad quem locum Scholiastes annotat respici Medeam, quamquam verba ab eo citata, in dramate nobis superstite non leguntur. Brunckius vero, ad Acharnn. vs. 858., primus, quod sciam, ostendit, Alcestidem quoque poetae materiem parodiae praebuisse, ut etiam haec Aristophanis comoediam tempore praecesserit. Quo fundamento innixi posteriores interpretes, e numerorum quoque puritate, quam inde ab Ol. XC. poetae minus curare coeperunt (2), argumenta petierunt, quibus Alcestis primis B. P. temporibus tribueretur. Quin Wuestemannus, ut notat Pflugkius in Praef. ad Alc. p. 14., ex honorifica Spartanorum civitatis mentione, tragoediam ante Ol. LXXXVII. 1. actam putavit. Egregie confirmatur illa suspicio Didascalica nota, quam, nuper in Cod. Vat. repertam, e novissima Dindorfii editione (3) nobiscum communicavit Welckerus in Mus. Rhen. III. 3. p. 508. Inde, omissis iis, quae a nostro instituto sunt remotiora, haec describimus: *Ἐδιδάχθη ἐπὶ Γλαυκίνου* [*Γλαυκίδου* Diod. XII. 30.] *ἄρχοντος* (Ol. LXXXV. 2. A. C. 439.) *τὸ λ′* [Dind. *πέ ὀλ.*] *πρῶτος ἦν Σοφοκλῆς, δεύτερος Εὐριπίδης Κρήσσαις, Ἀλκμαίωνι τῷ διὰ Ψωφῖδος, Τηλέφῳ, Ἀλκήστιδι.* Quae autem adduntur: *τὸ δὲ δρᾶμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν κατασκευήν* [Dind. *καταστροφήν*], causam ostendunt, ob quam Alcestis contra tragicum morem, hilariorem invenerit exitum. Etenim, quod monuit Welckerus, novo quodam invento, in locum Satyrici dramatis venit huiusmodi tragoedia, ad quam et Orestem pertinuisse, probabilis est eiusdem viri docti opinio.

---

(1) Conf. Valck. Diatr. p. 12. Matthiacus Tom. IX. p. 129., qui et de ceteris hisce tragoediis, quarum non nisi fragmenta habemus, consulatur. Aegeum et Erechtheum iam antea in Daetalensibus fuisse notatos suspiceris e Suida, in v. *Αἰγέα.*

(2) Cf. G. Hermanni, Elementa Rei Metricae. Lips. 1816. p. 83. 123. Opuscc. I. p. 135. sq. III. p. 148. sq. ubi tamen addit, Alcestidem bis editam sibi videri, et iterum quidem eo tempore, quo iam irrepserat ea incuria.

(3) Prodiit illa editio Oxonii 1834.

A. C. n. 424. Ol. LXXX$\frac{\text{VIII.}}{\text{IX.}}$

4. STRATOCLES.
1. ISARCHUS (1).

Artaphernes, qui a rege Artaxerxe legatus ad Lacedaemonios missus, ab Aristide Atheniensium praetore interceptus fuerat, post publice praelectas, quas secum ferebat epistolas, Ephesum remissus est. Cum eo Atheniensium legati profecti sunt, quibus, quum advenerant, nuncius adfertur, Regem nuper vita decessisse. Thuc. IV. 50. Ita satis magnum temporis intervallum ponendum videtur inter Artaphernis capturam regisque obitum, ut illa fortasse ad priorem annum sit referenda.

De morte Artaxerxis a plerisque viris doctis priori huius anni parti tributa, haec certo constant: eum non *ante* septimum Decembris diem decessisse, neque *ultra* vigesimum primum Martii diem fuisse superstitem. Prius probat canon Astronomicus, sive *Κανὼν βασιλέων* (vel *βασιλειῶν*), de quo vid. L. Idelerus, l. l. p. 109. sqq. Accensetur ibi Artaxerxis regno etiam annus 324. aerae Nabonassareae, cuius primus mensis Thoth incepit 7. Decembris die anni 425. A. C. Conf. Idelerus l. l. p. 98. coll. 94. sq. 120. sq. Posterius Thucydidea ratio postulat. Is, postquam Artaxerxis obitum, et moenia Chiorum eversa memoravit, cap. 51. addit: *καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα καὶ ἕβδομον ἔτος, κ. τ. λ.* Conf. Diod. XII. 64. ibique Wess. — Alia progressus via, eodem fere pervenit Dodwellus, Ann. p. 76. coll. 116. sed audaciae temeritatisque culpa minime vacuus. Huc enim referens decimum tertium Darii Nothi annum, quo regnante, uti Thuc. testatur VIII. 58., foedus Lacedaemonios inter ac Persas factum est, deinde sic pergit Dodwellus: »Iunctum est illud foedus post *τροπὰς χειμερινάς*, dum vigesimus B. P. annus agebatur; quum autem illud Elaphebolionem mensem ineuntem (27. Febr. 411. A. C.) praecesserit, [quam temporis notam lucratus est Dodw. e CCCC dominatione,] Darioque, qui Artaxerxi successor fuit, tertius decimus imperii annus nondum expletus fuerit; sequitur, ut Artaxerxes post vigesimum septimum Februarii diem mortuus sit, sed tamen ante vigesimum secundum Martii [ob causam modo indicatam]." Ingeniosa profecto computatio, at temeraria. Nam omnem omnino fidem negat iis, quae non tantum Diodorus XII. 71., verum etiam Ctesias in Persicis c.

(1) Vitiosa in Ravennati Codice scriptura *Ἱππάρχου*, cuius meminit Clintonus, emendatius scripta legitur in Veneto. Occurrit et Isarchi nomen apud Scholiasten ad Pac. vs. 955., quamquam haud sine gravi corruptelae suspicione: pro *μέχρι Ἰσάρχου*, speciosam nobiscum coniecturam communicavit Cobetius, vir amic.: *μέχρις Ἀρχίου*. — Olympionicas enumerat Corsinus.

44-48. Eusebius in Chronico p. 54. ac Manetho laudatus ab Africano apud Syncellum p. 75. D. (203. C.) de regno Xerxis II. ac Sogdiani memorarunt. In Chronico Paschali p. 133. C. pro ἔτη ξ', haud dubie legendum, μῆνας ζ'. Nec dicas omnes ex eodem fonte sua hausisse, cuius rei contrarium in eo apparet, quod Diod. l. c. duas a se invicem diversas praebet computationes, ceteri etiam scriptores leviter inter se discrepant. At Dodwellus: »Medium annum, Xerxi II. tribuendum, nullum agnoscit Canon Astronomicus vel Thucydides." Audio; sed ne dicam, inaccurate hic loqui virum cel. de uno tantum rege, Sogdiano prorsus omisso; nemo mirabitur, de horum imperio tacuisse Thucydidem, qui illis tantum locis Regum mentionem fecit, ubi Graecis aliqua cum Persis fuit necessitudo, cuiusmodi nulla in brevissimo Xerxis II. et Sogdiani regno fuit. Quod autem ad Canonem Astronomicum attinet: Idelerus post alios docuit, in hoc Canone initium cuiusque imperii adscribi mensi Thoth qui proxime praecesserit. Itaque primo Thoth anni 325. aerae Nabonn. (qui convenit septimo Decemb. 424. A. C.) Darius II. regnum accepisse in Canone traditur; sed Artaxerxis, qui primo Thoth 324. aer. Nab. nondum mortuus erat, regno Canon, annos non dividens, brevia Xerxis II. Sogdianique imperia annumeravit. Conf. Idel. l. l. p. 115. sq. 121. Clint. App. c. 18. p. 324. 326. — Itaque quum probasse mihi videar, Dodwelli rationem, decimo tertio Darii II. anno nixam, admitti non posse, priori adhaerere satius est.

Ad Thucydidem redeamus. Incipit octavus belli annus (IV. c. 52.) a solis defectu. *Τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθὺς τοῦ τε ἡλίου ἐκλιπές τι ἐγένετο περὶ νουμηνίαν.* Ponitur ille defectus ab Astronomis vigesimo primo Martii die, (cf. Heisius l. l. p. 10. sq.) qui dies quum extremo Anthesterioni secundum Metonis Cyclum conveniat, Thuc. verba *κατὰ σελήνην* omittere potuit. Conf. Dodw. Ann. p. 76., ubi haud incongrue iterum monuit, Thucydidem Metonico Cyclo in notandis temporibus usum fuisse, ac praecedente Embolimaeo mense Posideone II., ab Elaphebolione ver computasse. Eodem hoc mense ineunte Graecia terrae motu conquassata est.

Mytilenaei, ab Atheniensibus urbe expulsi, reliquis Lesbiorum exsulibus sibi adiunctis, e continente profecti, primum Rhoeteum (1), deinde et Antandrum occupant, quod oppidum, ut ceteras civitates Actaeas appellatas, prius possederant Mytilenaei. Erant autem perquam idoneae ad Lesbum infestandam, omniumque maxime Antandrus, ubi propter magnam lignorum copiam, aedificandarum classium copia erat. Thuc. IV. 52. Antandrus ab Atheniensibus eadem hac aestate recuperata est. Vid. infra.

Niciae in insulam Cythera, variasque Peloponnesi regiones expeditio, eo in primis memorabilis, quod Lacedaemonii tanto inde terrore perculsi sunt, ut, qui semper maxime alieni erant immutationis rerumque novarum, praeter consuetudinem quadringentos

---

(1) Conf. Poppo Prolegg. I. 2. p. 438. not. 10. 439.

equites sagittariosque constituerent, ut subitos Atheniensium egressus arcerent. Hi vero ex insula Cytheris in Epidauriam transvecti eaque vastata, Thyream ceperunt, quam Aeginetis patria expulsis (a. 431.) incolendam dederant Lacedaemonii. Nulli Aeginetarum pepercerunt Athenienses, Tantalum Lacedaemoniorum in urbe praefectum, eodem loco quo in Sphacteria captos habuerunt. Thuc. IV. 53-57. Diod. XII. 65. imprudenter haec repetens c. 80. Plut. in Nic. c. 6. p. 526. F. coll. Comp. c. 4. p. 567. C. Conf. Poppo Prolegg. I. 2. p. 201. Dodwellus, Diodorum secutus, hanc expeditionem Isarcho Archonte susceptam refert, quamquam brevi post ipse sensit, hac ratione plura posteriori huius anni aestati adscribi, et consuetae Diodori negligentiae recordatur. Diodorus tamen hac in re ita defendi poterit, ut statuamus, priori Archonte susceptam fuisse expeditionem, ad finem vero perductam, Isarcho Eponymi munere fungente. Utroque enim imperante Nicias praetor copiis praefuit.

Vertente aestate praetores, qui Lacheti successores in Siciliam missi fuerant, Athenas redierunt, pace inter Siculos Hermocratis ope composita. Minime illud populo placuit, qui Pythodorum Sophoclemque exsilio, Eurymedontem pecunia mulctarunt, ut qui pecunia corrupti, res Siculas in suam potestatem redigere neglexissent. Thuc. IV. 58. 65. Diod. intempestive XII. 54. Aristid. or. Sic. I. p. 374. Iustin. IV. 3. fin. Schol. ad Vespp. vs. 240., sed vide sis ad a. 425. p. 32.

Invasio, quam Athenienses e Periclis decreto bis quotannis facere solebant in Megaridem, hoc anno laetos ipsis fructus tulit. Nam proditione popularis factionis, longi muri ab Hippocrate et Demosthene occupati sunt, portusque Nisaea expugnatus. Urbs ipsa non nisi aegre servata est, et Brasidae auxilio munita. Itaque Athenienses praesidio Nisaeae relicto, domum redierunt, nec in posterum solennes in Megaridem fecerunt irruptiones, teste Thuc. II. 31. Vid. porro IV. 66-74. Diod. XII. 66. sq. quem errantem correxit Wess. Non assentior iis, qui huc referunt Plutarchi verba in Nic. c. 6. p. 527. A. *ὀλίγῳ δ' ὕστερον ἐκ ταύτης ὁρμώμενος Νισαίας ἐκράτησεν.* Conf. ad a. 427.

Brevissima defungi poterimus mentione Antandri Mytilenaeis ereptae, rerumque a Lamacho in Ponto gestarum. Thuc. IV. 75. Diod. XII. 72. Iustin. XVI. 3.

Omissa quoque diserta consiliorum enarratione, quae, statim post discessum ex agro Megarensi, inierunt Hippocrates et Demosthenes, ut res in Boeotia immutarent, de quibus agendi infra opportunus locus erit; maxime hic memorandum est Brasidae iter in Thraciam, quo haud scio an Atheniensium res maxime imminui coeperint. Horum enim potentia sita erat in sociis civitatibus, quae Brasidae celebritate virtutibusque permotae, ab hoc inde tempore certatim quasi ab Atheniensibus defecerunt; a quibus non amplius, ut antea, in officio contineri, vel, ut nuper Lesbii rebellantes, armorum vi statim coërceri potuerunt. Et, quamvis nonnulla oppida defectionis poenas dederint, variae tamen civitates sui iuris factae eo magis se pristinae dominationi opposuerunt, quo diutius eam to-

lerare debuerant. Sed illuc revertor. Brasidam cum septingentis Spartanis (1) terra iter facientem Thessalorum principes per suam regionem duxerunt, renitente primum populari factione. Ne igitur plures ad prohibendum convenirent, Brasidas omni usus celeritate, cito pervenit *εἰς τὰ ἐπὶ Θράκης*, ubi se Perdiccae adiunxit, quem Athenienses nuper hostem renunciaverant, quique sperabat fore ut Brasidas sibi auxilium praestaret contra Arrhibaeum Lyncestarum regulum. Initio id tamen frustra fuit, nam suas res agere malebat Brasidas, et Chalcidensium civitates ab Atheniensibus alienare, quod feliciter ei cessit. Defecerunt enim, *ὀλίγον πρὸ τρυγήτου* (circa Sept.) Acanthus, nec multo post Stagirus. Thuc. IV. 70. in. 78-88. Diod. XII. 67. qui uterque nobis tradit, Brasidam hac in re partim minarum terrore, partim verborum blanditiis usum fuisse, quippe non indisertum, ut Laconem scilicet: uti Thuc. annotavit IV. 84. Hunc locum respexit Aelian. V. H. XII. 50.; aliorum imitationes indicavit Duk. Ex Plutarcho in Lysand. c. 18. p. 443. patet, Brasidam Acanthiosque post defectionem sacra quaedam Delphico Apollini dicasse. Vid. etiam de Pyth. Orac. c. 14. 15. p. 400. sq.

Haud minoris momenti vulnus accepit Atheniensium civitas, quum ineunte hieme (post 15. Oct.) ad Delium (2) gravissima clade affecta fuit. Quae pugna per omne aevum adeo celebris fuit, ut potiora tantum paucis attigisse sufficiat. In causa fuerunt insidiae quas Hippocrates ac Demosthenes, Boeotis quibusdam rogantibus, struxerant ad Democratiam Boeotiae civitatibus conciliandam. Convenerat igitur inter praetores, ut Hippocrates Delium occuparet, ibique Apollinis templum muniret, Demosthenes eodem tempore Naupacto profectus, Siphas, Boeotiae oppidum Corinthiaco sinui adiacens (3), proditione caperet. Aberratione vero a statuto tempore facta, insidiisque patefactis, Demosthenes repulsus est ab universis Boeotis. Qui enim ab altera Boeotiae parte invadere debebat, Hippocrates sero Delium advenit. Ibi per quatuor dies moratus, quum maxima munitionis parte absoluta, exercitum remisisset, ipse ad custodias et quidquid reliquum esset constituenda, ibi mansit. Tum vero Boeoti Athenienses domum petentes aggrediuntur, maioremque exercitus, e peregrinis civibusque promiscue collecti, partem profligant. Hoplitae qui in acie manserant, undique circumventi, quamquam fortissime pugnantes tandem vero in fugam conversi sunt, plurimis interfectis; in his ipse dux Hippocrates, qui simul sibi nunciatum esset, Boeotos contra Athenienses venire, statim ad eos se contulerat. Praesidiariis ad Delium relictis a Boeotis caduceator missus est; qui quum inde discedere recusarent, munimenta machinis igneque expugnata sunt

(1) Helotas, qui libertatis spe allecti, expeditioni sese adiungere voluerant, crudelissime ac perfide necarunt Spartani. Thuc. Diod. ll. cc. Plut. qui sua e Thuc. petivit. Lycurg. c. 28. p. 56. sq.

(2) Conf. Poppo I. 2. p. 286. sq. quocum conferendus Philoch. ap. Schol. ad Oed. Colon. vs. 1047. no. 2.; ubi inter alia leguntur: *εἰ δὲ εἰς Δῆλον ἀποστέλλοιτο ἡ θεωρία..... θύει ὁ μάντις εἰς τὸ ἐν Μαραθῶνι Δήλιον. κ. τ. λ.*

(3) Poppo I. 2. p. 290.

decimo septimo a pugna die. Alii caesi, alii ducenti numero vivi capti sunt. Reliqui navibus domum se receperunt. Thuc. IV. 89-101. Diod. XII. 69. sq. salutiferam Wess. manum expertus. Plut. in Nic. c. 6. p. 526. E. Pausan. III. 6. § 1. IX. 6. § 2. Praeter Xenophontem (1), cuius meminit Clintonus, huic pugnae interfuerunt etiam Laches, Socrates, Alcibiades. Conff. Platonis aliorumque Vett. Scriptt. loci citati a Poppone ad Thuc. IV. 96. et Stallb. ad Symp. c. 36. p. 221. A., quibus addantur Plut. de Gen. Socr. c. 11. p. 581. D., quo loco Pyrilampes Antiphontis filius a Thebanis captus dicitur; porro adv. Colotem. c. 18. p. 1117. Liban. Apol. Socr. III. p. 45. 14. Hipponicum in illa pugna praetorem fuisse, multis persuasit (Pseudo) Andoc. c. Alc. c. 13., quorum errorem post alios castigavit Poppo ad. c. 76. 94. 101. Nec Plato ibi pugnavit, merito negante Perizonio ad Ael. VII. 14. Maiori iure dicas Cleonymum Delii scutum abiecisse. Aristophanes enim, qui iam in Acharnn. vs. 88. 809. Equitt. 953. 1290. 1369. istum nebulonem exagitaverat tamquam mollem, vanum, voracemque hominem, nusquam tamen ibi *ῥιψάσπιδος* meminit. In iis vero, quas postea edidit, comoediis hoc nomine fere vocavit: Nubb. 352. Vespp. 19. sqq. 592. 822. Pac. 438. sq. 656. sq. 1260. Avv. 290. 1475. sqq., loco in primis festivo propter opportunam ingruentis hiemis mentionem.

Demosthenes post irritam adversus Siphas expeditionem in Sicyoniam egressus multos de suis proelio amisit, quorum corpora per caduceatorem recepit, victoriae honore hosti concesso. Thuc. IV. 101.

Circa haec tempora in Thracia mortuus est Sitalces, Odrysarum rex, quocum Athenienses societatis vinculo coniuncti erant. Cuius regis obitum, ne in B. P. enarrando parvi ducamus, cavit Gailius in Diss. de Sitalce, quam Poppo Prolegg. ad Thuc. inseruit I. 2. p. 408. sqq. Satis etiam illud apparet ex crebris legationibus quas Athenienses ad hunc regem miserunt. Conf. Rankius l. c. p. 351., qui tamen levi errore regem Archonte Stratocle obiisse refert.

Et nondum finis malorum. Namque in Thracia Brasidas, quum per proditionem, tum armis ac vi, praecipuam illic urbem Amphipolin Atheniensibus eripuit; Myrcinus, Galepsus, Oesyma sua sponte Spartanis se applicuerunt (2). Etiam Eionem cepisset Spartanorum imperator, nisi Thucydides, audito Brasidae consilio, ex Thaso in continentem traiectus, quae servari adhuc poterant, Atheniensibus conservasset. Hi tamen Amphipolin amissam graviter ferentes, quum putarent illam urbem a Thucydide servari potuisse, praetorem in exsilium egerunt. Thuc. IV. 102-108. coll. V. 26. Diod. XII. 68. Quod quamvis inique factum putemus, infectum tamen haud facile cupiamus. Huic enim

---

(1) Xenophontem in hoc proelio ab hostibus captum suspicatur Letronnius, quem refutavit Welckerus Mus. Rhen. I. 1. 8.

(2) Ad has pugnas, in Thracia consertas, refertur occisorum catalogus, qui invenitur in Boeckhiano Corp. n. 171., apud Osannum n. 5., cuius coniecturam (p. 22.), si cum Boeckhio probes, ad seq. quoque annum idem marmor pertinebit.

exsilio grati posteri *τὸ κτῆμα εἰς ἀεί* acceptum referunt. Conff. praeter Clintonum, Scriptt. cit. a Wassio et Popp. ad Thuc. ll. ll. et Marcell. § 23. 46. quibus addantur Plin. Hist. Nat. VII. c. 30. init. Liban. Ep. 1078.

Commemoranda etiam expeditio ab Atheniensibus suscepta Isarcho Archonte, et ante Dionysia *ἐν ἄστει*, quo festo Aristophanis *Νεφέλαι πρῶται* in scenam commissae sunt. Vid. Nubb. vs. 213. sq. Philochorus apud Schol. ad Aristoph. Vespp. vs. 718: *πέρυσιν ἐπὶ ἄρχοντος Ἰσάρχου ἐστράτευσαν ἐπ᾽ αὐτήν (Εὔβοιαν).* Ex eodem loco, coll. Schol. ad vs. 715., coniicimus eo tempore civium *δοκιμασίαν* iterum institutam fuisse, ut agri et frumenta inter populum dividenda legitimis civibus cederent. Idem tunc accidisse videtur, quod ante viginti annos fecerat Pericles, ut civium iuribus privarentur complures, qui Demagogis minus grati essent. Et hic conferri poterit Rankius p. 250. Boeckhius Oec. Civ. I. p. 98.

A bellicis rebus transitu facto ad humaniora studia, nihil fere nobis se offert, excepta Aristophanis comoedia *Ἱππῆς* inscripta, quae Lenaeis primas tulit. Clintonus putat octavum belli annum (vs. 790.) a pugna ad Potidaeam computandum esse. Quid autem nobis hac de re videatur, ad priorem annum indicavimus. De ipso anno nemo dubitabit propter Pyli mentionem pacisque a Lacedaemoniis oblatae, resistente vero Cleone, ab Atheniensibus reiectae, denique ob Niciae expeditionem. Conf. Rankius p. 374. sqq. qui, ut confirmaret Didascalicam notam, ubi comoedia Lenaeorum festo acta memoratur, huc contulit vs. 877. sqq., plura temporis indicia supervacanea existimans. Est tamen non parvi momenti, quod legitur vs. 544., ubi poeta spectatorum audientiam his verbis expetit:

Αἴρεσθ᾽ αὐτῷ πολὺ τὸ ῥόθιον, παραπέμψατ᾽ ἐφ᾽ ἕνδεκα κώπαις
Θόρυβον χρηστὸν ληναΐτην
Ἵν᾽ ὁ ποιητὴς ἀπίῃ χαίρων, κ. τ. λ.

Usus est hoc loco et Ullrichius l. l. p. 2. not. 3. qui tamen quo modo ex Acharnn. vs. 476. sqq. demonstrare voluerit, Eqq. vs. 1405. de Lenaeorum festo esse intelligendum, equidem non satis intelligo. Immo vero hi loci prorsus sibi contrarii sunt, quum ibi *οἱ ξένοι abesse* dicantur, hic vero *adsint.* Itaque locus ex Eqq. multo magis ad Dionysia *ἐν ἄστει* spectare videretur, conf. ad. a. 426. p. 30., nisi constaret, in Lenaeis quoque magnam adfuisse peregrinorum multitudinem: quod ut probem, Agathonis utar exemplo, qui in Lenaeis victor, a Platone Symp. c. 3. p. 175. dicitur *ἐκφανὴς γενέσθαι ἐν μάρτυσι τῶν Ἑλλήνων πλέον ἢ τρισμυρίοις.* Minime vero audiendus C. G. Lucas, qui in Diss. de Crat. et Eupol. p. 13. Aristophanem in hac comoedia vs. 523. respexisse putat ad Cratini Pytinam, sequenti demum anno, una cum Nubibus doctam.

Ex Equitum Didascalia apparet eodem tempore Cratini *Σατύρους* (1) Aristomenisque *Ὀλοφυρμούς* (2) actas fuisse. Utraque comoedia quum interciderit, nullam inde temporis notam elicere potuimus. Prioris dramatis iacturam eo magis dolemus, quo maioris foret momenti in diiudicanda lite, quam Hermannus Eichstaedtio movit de Dramate Comico-Satyrico (3). Nonne et illud Eichstaedtio, cuius tamen opinionem ex adversario tantum cognovi, opponi possit, Satyricum drama Comicis eam ob causam minus convenire, quod non, ut Tragici, trilogias docerent, quibus quartum drama Satyrici argumenti adiungeretur; sed uno tantum dramate certarent?

Eupolideam fabulam *Αἶγες* dictam clade ad Delium accepta fuisse priorem, ex quarto fragmento (apud Hesych. s. v. *Ἱερεὺς Διονύσου*, coll. Schol. ad Rann. 380.), colligit Runkelius. Eodem fortassis argumento utaris, ut Antiphontis oratio *κατὰ Ἱπποκράτους στρατηγοῦ* hoc anno prior statuatur. Conf. Plut. X. Or. I. p. 833.

A. C. n. 423. Ol. LXXXIX.

1. ISARCHUS.
2. AMINIAS (4).

Longos muros Megara mari iungentes sed ab Atheniensibus occupatos, hosti eripiunt incolae, deinde illos solo aequant.

Eodem tempore in Thracia Brasidas, conciliatis sibi oppidis ad litus (*Ἀκτήν* proprie sic dictam) sitis, ad Toronam accedit, eiusque urbis per proditionem potitur. Brevi post etiam in fidem accipit Lecythum, quo se receperant Athenienses, qui Toronae in praesidio fuerant. Thuc. IV. 109-116. Diod. XII. 68. fin.

Annuas inducias hac aestate ab Atheniensibus cum Lacedaemoniis factas, magnam mihi creare difficultatem, fateri cogor. Kruegerus omni molestia se expedivisse videtur;

(1) Runk. ad Crat. frgmm. p. 55., quo loco duplex operarum error emendandus.

(2) Meinek. Q. S. II. p. 48. Rankius p. 383.

(3) Opuscc. I. p. 44. sqq.

(4) Schol. ad Nubb. vs. 31. nugas spernere docuit Hermannus. Clintono, alteram sententiam probanti, commemorandi et erant vss. Nubb. 681. Vespp. 1267. Schol. ad Vespp. vs. 466. Diogenis vero Laërtii locus, III. 3., huc non pertinet, verum ad Epaminonem a. 429. Archontem. Meinekii coniectura, Q. S. II. p. 42. proposita, vereor ut satis certa vocari possit.

quo vero iure illud de se praedicare potuerit, nondum perspicio. Dixit Thuc. IV. 117. *τὸ θέρος* iam incepisse, quum fierent induciae: at legimus cap. seq.: *ἄρχειν δὲ τήνδε τὴν ἡμέραν τετράδα ἐπὶ δέκα τοῦ Ἐλαφεβολιῶνος μηνός.* Quum vero non praecesserit Embolimaeus mensis, aestatis Thucydideae initium a Munychione computandum est. Itaque, donec meliora edoctus sim, acquiesco in Dodwelli opinione (Ann. Thuc. p. 78. A.) *duas* a Thuc. memorari inducias; priores nondum annuas, sed eo consilio initas, ut ultro citroque mitterentur legati operam daturi, ut *omnium* consensu annuae confirmarentur induciae; posteriores eas ipsas annuas per quas operam darent, ut induciae in pacem mutarentur. Priorum igitur induciarum initium ab indicato Elaphebolionis die (24. Martii ex nostra ratione), posteriores a sequentis *vernalis* et pro Thucydidis mente *aestivalis νουμηνίᾳ* (10. Apr.), arcessendae sunt. Haec fere vir celeb., cui tamen in iis quae de Pythiis secundo quovis Olympiadum anno actis adiicit, nullo modo adsentiri possumus; id quod ad sequentem annum e Clintoni maxime sententia ostendemus. Impense autem miramur Wesselingium, ubi ad Diod. Bibl. XII. c. 65. init., praeeunte Casaubono ad Athen. V. 18. p. 218., Thucydidem et Diodorum culpat, quod nullam harum induciarum mentionem fecerint. At vide Thuc. IV. c. 117-119. Ne Diodorus quidem has inducias silentio praetermisit, sed consueto sibi more ad alium Archontem retulit. c. 72. n. 40., quo loco ipse Wess. Thuc. contulit. Cf. et Athen. l. l.

Miratur autem Poppo in ann. crit. ad Thuc. l. l., viros doctos *dierum* numerum tentasse, antequam menses inter se conciliassent; Elaphebolionis enim alteram decadem hîc Gerastii Laconici secundae, at lib. V. c. 19. eiusdem Elaphebolionis tertiam decadem Artemisii Laconici tertiae respondere. Idelerus, quem frustra se evolvisse dicit V. D., hanc difficultatem ita solvere conatus est, ut illud inde factum diceret, quod diverso singuli populi Embolismi Cyclo uterentur, quo facto idem Atticus mensis duobus Laconicis convenire potuerit. Ench. Chron. I. p. 363. Ipse vero Idelerus non satis observasse videtur discrimen dierum *biduo* maius esse, nec Dodwelli Goellerique coniecturae satis firmo niti videntur fundamento. Arnoldus satis probabile: »Fierine potest, ut priore tempore Lacedaemoniorum, posteriore Atheniensium magistratus alterorum legatis foedus iureiurando firmaverint, antequam in alteram urbem mitteretur, ut ibi acciperetur?" Quae vero addit: Herodoti locum VI. 106. probare, quum magna celeritate opus esset, *biduum* ad spatium, quod inter Athenas et Spartam est, emetiendum suffecisse; ipse non intellexit discrimen non *duorum* sed *quatuor* dierum esse observandum. Quodsi menses, qui diversa ratione intercalari solebant, ita nec eiusdem apud utrumque populum longitudinis erant, et ipsi dies differre potuerunt. Quum vero harum rerum peritissimi iudices fateantur, sibi non esse eam Fastorum Laconicorum notitiam, quae eos ad has res omnino enucleandas idoneos reddat, neque ego mihi tantum sumere velim, ut quidquam affirmem.

Hae tamen induciae non impediverunt, quominus in Thracia bellum inter Athenienses Lacedaemoniosque continuaretur. Brasidas id unice agens, ut quam plurimis civitatibus defectionem persuaderet, Scionen quoque in fidem acceperat post biduum quam induciae factae essent, sed antequam advenissent legati, huius rei nuncium allaturi. Quum igitur Aristonymus Atheniensis urbem repeteret, Brasidas eam sibi vindicaret, lis exorta est, eaque brevi haud parum aucta; Mendaei enim, Scionen a Brasida non prodi videntes, ad Lacedaemoniorum societatem accesserunt induciis iam cognitis. Athenienses vero, quum protinus haec accepissent, multo magis irati, adversus utramque civitatem bellum pararunt, et a Cleone excitati, in primis quod insulanis, quibus Scionaei quodammodo annumerari poterant (1), exemplum defectionis datum esset, decreverunt, ut expugnata Scione omnes incolae interficerentur. Hi vero, adiuvante Brasida, liberos coniugesque Olynthum miserunt, oppida praesidiis firmata sunt. Thuc. IV. 120-123. Diod. XII. 72. minus accurate haec adiicit: *τὰς σπονδὰς κατελύσαντο.* Philoch. ap. Schol. ad Vespp. vs. 210. a Popponis reprehensione vindicandus, qui ubi Clintonum correxit, ipse tamen errore non vacuus fuit. Addantur, quos citavit Poppo, Polyaenus, Eunapius et Aristidis Scholiasta.

Copias omni celeritate contractas Athenienses in Thraciam miserunt ducibus Nicia et Nicostrato. Qui quum Potidaea cum classe solvissent, adversus Mendam contenderunt. Magno oppidanis erat incommodo, quod Brasidas Perdiccae suppetias laturus contra Arrhibaeum profectus erat. Thuc. IV. 124. sq. Nec diu resistere potuerunt Peloponnesii milites, qui fortissime pugnantes tamen in arcem compulsi sunt, urbe per civium discordiam Atheniensibus tradita, militibusque diripienda concessa. Qui in arcem se receperant, mox Scionen evaserunt. Thuc. IV. 129. sqq. Diod. XII. 72. fin. Plut. Nic. c. 6. p. 527. A. coll. Compar. c. 4. p. 567. C.

Expugnata Menda Scione circumvallari coepit. Interim tamen rediit Brasidas, qui a Macedone perfide desertus, admirabili virtute et consilio copias reduxit incolumes. (Thuc. IV. 124-128.) Perdiccas autem, in quem iustum odium conceperant Lacedaemonii, Atheniensibus se rursus applicuit; quibus ut fidei documentum exhiberet, Thessalis persuasit, ut Lacedaemoniorum copias, bellicumque apparatum impedirent. Per hanc enim regionem post Brasidae iter superiori anno factum, Lacedaemonii in Thraciam proficisci solebant, qua quidem via nuper usi fuerant Ischagoras aliique, quorum nonnullos Lacedaemonii urbibus sibi conciliatis praefecerant. Thuc. IV. 132.

In ipsa Graecia nihil magni admodum momenti gestum est. Meminit Clintonus Thespiensium, quorum muri a Thebanis eversi sunt, quod Atheniensibus favere viderentur. Memoravit quoque vir doct. Iunonis Argivae templum Chrysidis sacerdotis imprudentia concrematum. Thuc. IV. 133. Paus. II. 17. fin. Clem. Alex. Protrept. p. 35. Deflagravit

(1) Conf. Duk. ad Thuc. IV. 120. 122. Poppo Prolegg. I. 2. p. 374.

Heraeum circa mensem Boëdromionem, quod apparet ex verbis: *ἔτη δὲ Χρυσὶς τοῦ πολέμου τοῦδε ἐπέλαβεν ὀκτὼ καὶ ἔνατον ἐκ μέσου, ὅτε ἐπεφεύγει:* si meminerimus Thucydidem belli annos a Munychione anni 431. A. C. computasse.

Eaedem induciae in causa fuerunt, quod sequenti hieme et Lacedaemonii et Athenienses quiescerent. In Peloponneso tamen pugnatum est a Mantineis et Tegeatis; quorum hi Spartanis adhaerebant, illi Peloponnesiorum partibus primum addicti (Thuc. III. 107. sqq.), deinde magis alteri factioni favisse videntur. Quod magis etiam apparuit duodecimo B. P. anno. — Proelium autem hoc anno aequo Marte commissum utrisque tropaei exstruendi occasionem praebuit. Thuc. IV. 134.

De Alcibiadis aetate, quae a Clintono dicuntur, deque primis illius *πολιτείας* annis, (cf. Plut. in Vit. c. 13. p. 196.) nos admonent, ut verbo commemoremus Boeckhianam sententiam de sociorum tributis, hoc anno Alcibiadisque potissimum opera, auctis novaque ratione descriptis. Quod quum antea iam ostenderat vir cel. (Oec. Civ. I. p. 431. sqq.), eodem pertinere arbitratus Antiphontis orationes de Lindiorum Samothracumque tributis (p. 444. Westerm. l. l. p. 275. n. 25. 35.); mox Corpori Inscriptt. n. 75. fragmentum inseruit, quod ex ipsa hac lege superstes suspicatur, reiecta Osanni (Syll. p. 12.) opinione, qui Bello P. prius hoc decretum habebat.

Aristophanis Comoediae, quam *Νεφέλαι* inscriptam hoc anno *ἐν ἄστει* docuit, palmam praeripuerunt Cratinus *Πυτίνῃ* et Amipsias *Κόννῳ*. Quod tam aegre tulit poeta, ut in Vespis, Nubibusque II. scripto mandatis, de spectatorum iudicio vehementer conquestus sit. Conf. Vespp. vs. 1015. sqq. Nubb. 510. sqq. Quaenam vero infausti eventus causa fuerit, in magna virorum doctorum dissensione (1) equidem haud affirmaverim. Hoc tamen satis constare videtur, Socratis irrisionem vix causam fuisse, quod praemium Aristophani abiudicatum sit. Summum enim philosophum, quem vivum parum curabant aequales, iniuste condemnatum, sed summa animi magnitudine vita excedentem miserati sunt, posteri demum per Platonem potissimum admirari coeperunt (2); hunc, inquam, uterque aemulus hac occasione risisse videtur: quod de Conno e fragmentis satis apparet, de Cratini Pytine e fragmento apud Schol. Plat. Apolog. p. 332. Bekk. collegit Rankius, Bibl. Hildesh. a. 1828. p. 247. sqq. cit. a Runk. in add. ad Cratin. p. 191.

Tempora si spectemus, missis iam Grammaticorum annotationibus in Arg. V. Bekk., et

(1) Cf. G. Hermanni Praef. ad Aristoph. Nubb. p. 43. sqq. C. F. Hermanni Progymnn. I. p. 12. Fritzschius Q. A. I. p. 115. Praeclaram Suevernii Commentationem frustra expetivi.

(2) Est fere sententia G. Hermanni l. l. p. 35. sqq.

ad vs. 541. 544. (1) uti et Aeliano II. 13., locum Athenaei videamus iam saepius citatum V. p. 218. C., ex quo apparet, Amipsiae *Κόννον* Eupolidis *Κόλαξιν* biennio esse priorem. Quae Eupolidis fabula, quum acta sit una cum Aristophanis *Εἰρήνῃ*, Alcaeo archonte (Arg. Pac. e Veneto Cod. ap. Mein. Q. S. II. p. ult.), Amipsiae *Κόννος*, Aristophanisque adeo *Νεφέλαι* ad Isarchum referendae sunt. E scripta comoedia nobis superstite pauca tantum colligi possunt, quae tempus indicent, quo priores *Νεφέλαι* actae sunt. Quamvis enim eorum opinionem improbes, qui, ut nuper Fritzschius (p. 104.), posteriores Nubes a prioribus adeo discrepasse contendunt, ut diversae prorsus fabulae, non editiones, vocandae sint (2), quisque tamen Hermanno (l. l. p. 14.) concedat, necesse est, multa hic illic sive delendo sive mutando correcta fuisse. Cff. Arg. VII. ceterique loci quos citavit vir cel. Multam igitur operam in eo posuerunt viri docti, ut ostenderent, quaenam e priori editione in posteriorem migrassent, deinde vero, quaenam in priori memorari omnino non potuerint. E quibus maximi momenti est, celebrata, et propter insignem errorem, quem Callimacho peperit (cff. Eratosthenica p. 212. Bernh.), famosa vivi Cleonis mentio eidem parabasi iniecta, qua tangitur Eupolidis fabula *Μαρικᾶς*, tertio post caesum Cleonem anno in scenam commissa. Reliqua enim quae de B. P. dicuntur, vs. 6. sq. 215. sqq., nihil certi continere, iam sensit Rankius p. 421.; idemque dicendum de vs. 613., ubi Hyperbolus Hieromnemonis munere fungens tangitur, qui locus eo incertior est, quod Hermannus eum alteri editioni tribuendum censuit. Itaque cancellos nobis positos videmus, Archontes Stratoclem Alcaeumque, ultra quos procedere Pyli expugnatae captivorumque mentio, vs. 187., Cleonisque clades diserte vetant.

Fragmenta e Cratini Amipsiaeque fabulis a Runkelio collecta p. 49. sqq., et Meinekio Q. S. II. p. 43., Fritzschio occasionem praebuerunt l. l. p. 239. nonnulla de his comoediis disputandi. Sunt tamen fragmenta illa eiusmodi, e quibus praeter nomina virorum ab Aristophane in prioribus posterioribusque fabulis exagitatorum, nihil invenias, quibus commissionis tempus accuratius definiatur.

Ad eumdem hunc Archontem Isarchum Eupolidis comoediam *Πόλεις* retulit Raspius in argumento, quod de hac fabula Graece scripsit. Qua de re nihil uberius expositum

(1) Addiderit fortasse aliquis Scholl. ad vs. 3. 10. 268. 310. 511. ubi e tempestatis significatione, aut Bacchi invocatione Scholiastae Didascalicam notam confirmare voluerunt. Quod tamen hanc ob causam omisi, quod Fritzschius l. l. p. 182. animadvertit Aristophanem scriptam comoediam eidem, qua prius victus esset, festi celebritati destinare voluisse.

(2) Cui opinioni quum multa obstare videantur, eiusdem vero refutatio me longe peritiorem poscat iudicem, rogasse sufficiat, quo tandem pacto e paucis istis frustulis, vel potius verbis abruptis, etiamsi statuas omnia quae ab antiquis scriptoribus e Nubibus citantur, neque tamen in superstite fabula inveniri possunt, e prioribus Nubibus desumta esse, fabulae argumentum ita erui possit, ut a superstite fabula prorsus discrepasse iudicemus. Neque illud omittendum puto cl. virum, dum per totam disputationem probandum sibi sumserit, in prioribus Nubibus Socratem non nisi strictim ac leviter exagitatum fuisse a poeta, qui id tantum ageret, ut per eum improbos discipulos in populi invidiam adduceret, ea fere ex priori ista comoedia attulisse, quae ad ipsum Socratem aut cum ceteris, aut adeo prae iis exagitatum pertineant. Alia dubia movit Cl. M. H. E. Meierus in Diar. Hal. lit. 1836. p. 521. sqq.

invenitur in Commentario, nisi quod memorantur Meinekii Q. S. I. p. 58. Runkeliique opiniones, quorum prior fabulam post Chiorum defectionem doceri non potuisse ostendit, alter p. 143. eodem fere tempore quo Vespas, hoc drama actum fuisse coniecit. Equidem hanc comoediam Vespis priorem vix putaverim, propter Adimanti, Syracosii, Theramenis nomina, qui seriori demum aetate innotuerunt, inque posterioribus Aristophanis comoediis exagitati sunt. De fabulae autem argumento cum Raspio mihi convenit, qua propter eam ad Lenaeorum festum, Alcaeo Aristioneve Archonte celebratum, potius retulerim.

A. C. n. 422. Ol. LXXXIX.

2. AMINIAS.
3. ALCAEUS.

Clintonus irritum praetermittens Brasidae conatum, quo exeunte hieme (mense Martio) Potidaeam occupare tentavit (Thuc. IV. 135.) huius anni Fastos a solutis induciis incipit. Qua de re ita retulit Thuc. V. 1.: *τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους αἱ μὲν ἐνιαύσιοι σπονδαὶ διελέλυντο μέχρι Πυθίων. κ. τ. λ.* Hunc locum Clintonus e Corsini explicatione, »praeteritis induciis rursus bellatum est usque ad Pythia," ita latine reddidit: »Bellum renovatum est usque ad Pythia." Cf. doct. viri verba in tabb. ad h. a. et in Append. c. 1. Nimirum intellexit Petavii opinionem, Dodwello aliisque superiori seculo viris doctis probatam, tot tantisque premi molestiis, ac refutari disertis veterum scriptorum testimoniis, ut nullus dubitationi locus supersit, quin Pythia tertio quoque Olympiadum anno celebrata fuerint (1). Nec putem quempiam hodie inveniri, qui explosae sententiae defensorem se profiteatur; ut tuto affirmare possimus, a Thucydidis mente eos aberrare, qui *σπονδάς* ab Atheniensibus cum Lacedaemoniis pactas, Pythiis *huius* anni *vere* celebratis, terminatas fuisse dicant.

At vero alia res agitur, quando quaestionem investigandam nobis sumamus, quodnam ipsum fuerit tempus, aut mensis, quo Pythia celebrari solebant. Hic enim in varias

(1) Cff. quos citavit Clint. p. 209. vett. scriptorum locos, add. Boeckh. Corp. Inscr. I. p. 812. sqq. ap. Clint. p. 213.

partes discedunt viri doctissimi qui novissime hac de re egerunt. Boeckhius Pythia *sequentis anni vere* celebrata censet; Clintonus festum *ipsius anni*, in quo illustrando versamur, *auctumno* assignat; denique Arnoldus *Hecatombaeone* mense ludorum diem ponit. Quorum postremus id effecisse mihi videtur, ut Clintoni sententia, quae mihi, nondum nacto Arnoldi commentarium, Boeckhianae praeferenda videbatur, contra huius dubitationes magis etiam confirmata sit, neque novis, quae ipse attulit argumentis, admodum debilitetur.

Boeckhio in primis adversatur Aeschinis oratio contra Ctes. c. 43. p. 72. R. Darius enim quum ineunte tertio Ol. 112. anno mortuus sit, oratio paullo ante Pythia haberetur (1), c. 93. p. 89. R., Aeschines huius rei ignarus esse non potuit, si Pythia sequentis demum anni vere celebrata fuerint. Hanc igitur Arnoldus merito firmissimam partem vocat argumentationis, qua Clintonus usus est. Nec Boeckhii aut Westermanni ratio, qua difficultatem suae opinioni adversam superare conati sunt, probabilem quis vocet (2).

Reliqua minoris momenti habenda videntur. Nam 1.) Boeckhio et Arnoldo concedamus oportet, Plutarchum, in temporibus notandis paullo negligentiorem, Pythiorum mentionem facere *potuisse*, etiamsi non *statim* post Agesilai adventum celebrata fuerint (3). 2.) Aristidi, (Eleus. I. p. 258. Iebb.) posterioris aevi declamatori, hac in re parum auctoritatis tribui solet, quae tamen eo valuit apud Boeckhium, ut, nisi Thucydides reluctaretur, rationem, quam de tempore occupatae Cadmeae repetiit Clintonius, victricem habiturus esset. Neque tamen opus est, ut, probato Aristidis testimonio, Arnoldo demus, Cadmeam incipiente aestivorum tempore occupatam esse; quod quum putaret vir doct., satis iustam vocavit expeditionem, quae non nisi unica fuit pugna, sub Olynthi muris, simul ac Teleutias eo pervenisset, commissa, qua gesta Lacedaemoniorum praetor continuo discessit, motus fortasse ingruenti hieme. 3.) Athenienses (quae prudens est Boeckhii, cui assentitur Arnoldus, obiectio), Phocensium aerumnis exacerbati, atque indignati quod Philippus praeses Pythiorum factus esset, se ludis affuturos recusare potuerunt, sive continuo post bellum, sive novem mensibus post celebrati fuerint. Ita et Boeckhius Weiskiusque (4) iudica-

---

(1) Parum ad nostram quaestionem refert, utrum cum Westermanno V. Cl. cuius librum frustra quaesivi, orationem quadriennio ante habitam, *hoc* vero tempore scriptam censeas.

(2) Conff. Kruegeri adnott. ad Clint. Disputat. et R. RAUCHENSTEINII, *de temp. quo Aesch. et Demosth. orationes Ctesiphonteae habitae sint*, *Comm.* Arov. 1831. p. 31. sq. Horum posterior, tum Boeckhii de Darii morte sententiam refutavit, tum novam Westerm. opinionem, verbis *ταύτῃ ποτὲ τῇ ἡμέρᾳ μελλόντων, ὥσπερ νυνὶ, τῶν τραγῳδῶν γίγνεσθαι* (c. 48.) nitentem. »His enim minimc orator Dionysia magna nunc, quum orationem habeat, adesse, aut propediem fore dicit, scd comparationem instituit superiorum temporum, quibus Bacchi festo pupilli a praecone produci solebant, *nunc* vero contra leges, immerito civi auream coronam concessurus erat populus.''

(3) Illud tamen animadvertendum, hunc Plutarchi locum (Ages. c. 19.) non multum quidem probare contra Boeckhium, sed Arnoldo prorsus adversari. Agesilaus enim, quod nemo negabit, *ante* Pythiorum celebrationem vulneratus est, sed *post solis defectionem*, quae die 14. Augusti obscrvata, tamen proelium ad Coroneam commissum aliquot dics antecessit. Praeterierat igitur iam mensis Hecatombaeon, quo currente quum Pythia ex Arnoldi sententia celebrarentur, Agesilaus iis interesse non potuit.

(4) De Hyperbole III. p. 20. ex cit. Popp.

runt, Aeschinem ad proximum auctumnale Amphictyonum concilium, pylagoram missum, oratorie componi et quidem opponi potuisse theoris legatisque, quos Athenienses ad ludos proximo vere celebrandos mittere recusarunt. Quae tamen turbae ne nullae sint, veretur Kruegerus, si Pythia auctumno acta concesseris. 4.) Clintonus nimis tribuere videtur argumento, quod e Iasonis decreto petivit, nec verba Xenoph. Hell. VI. 4. § 30: *παρήγγειλε ὡς στρατευσομένοις ἐς τὸν περὶ τὰ Πύθια χρόνον Θετταλοῖς παρασκευάζεσθαι*, significant: »indixit militiam auctumno Pythiorum tempore exituram;" multo vero magis: »imperavit Thessalis, ut ad expeditionem in tempus Pythiorum se praepararent, i. e. expeditionem circa Pythiorum tempus suscipiendam, non ad hoc usque tempus continuandam;" id quod iam indicavit Kruegerus et post eum Arnoldus. Clintonum tamen in sententia persistere, nuper e Poppone cognovi, sed praestat Kruegero adsentiri, monenti, Iasonem modo ludorum causa exercitum comparare voluisse, adeoque ex hoc loco in neutram partem certi quidquam colligi posse; quamquam veri speciem prae se fert doct. viri suspicio, Iasonem hieme Ol. 102. 3. non fuisse superstitem.

Haec vero argumenta, etsi singulis nonnulla sat gravis momenti opponi possunt, coniunctim tamen haud leve pondus afferunt Clintoni sententiae, quae Aesch. loco cit. firmissimo nititur fundamento. Sed videamus nunc de Thucydidis loco, quo uno Boeckhius se prohiberi dicit, quo minus manus Clintono porrigat.

Arnoldus igitur, quo sibi Thucydidis auctoritatem conciliaret, verba *αἱ μὲν ἐνιαύσιοι κ. τ. λ.* negat verti posse: »annuae induciae finitae sunt bellumque renovatum usque ad tempus Pythiorum;" ad quam versionem confugerint interpretes, quibus persuasum erat, Pythia tertio quoque Olympiadum anno celebrata fuisse. Unice vero probat priorum interpretum rationem, qui *μεχρὶ Πυθίων* cum *σπονδαί* iungentes, verterunt: »induciae, quum ad Pythia usque durassent, solutae sunt." Plus quam perfecti quippe temporis usum *διελέλυντο* omnino non defendi posse, si Pythia res a Cleone gestas, de quibus in proximo capite fit mentio, non praecedebant, sed sequebantur. Reiicit igitur et Clintoni et magis etiam Boeckhii explicationem, quarum posteriorem prius consideremus, deinde Clintonum contra Arnoldum defendere conaturi. Et quidem Boeckhio satis respondit Kruegerus, docens difficultatem, qua Clintoni explicationem premi putabat vir cel., ipsius opinione omnino non tolli: eodem certe iure, quo Boeckhius rogavit, cur, si Pythia auctumno acta fuerint, Thuc. non dixerit *μέχρι τοῦ ἐπιγιγνομένου χειμῶνος*; rogari posse, quae fuerit causa, quod, Pythiis *vere* celebratis, non dixerit Thuc. *μέχρι χειμῶνος τελευτῶντος* vel *μέχρι ἦρος ἀρχομένου.* Deinde observavit idem vir doct. Boeckhii obiectionem, verba *αἱ σπονδαὶ διελέλυντο κ. τ. λ.* significare, nullas fuisse *σπονδάς*, non adversari Clintoni sententiae, quum etiam quo tempore Pythia celebrata sunt, *σπονδαί* essent, atque his novum bellum terminatum esse designari possit. Quae coniectura quam probabilis sit, satis assequimur reputantes, haud

facile infestissimos sibi hostes proximo vere quinquaginta annorum foedus facturos fuisse, legatis de pace et societate, per hiemem ultro citroque missis (c. 17.), nisi induciae antea factae fuissent. Denique, hiemalem Spartanorum expeditionem, cuius mentione probari putat Boeckhius, belli narrationem non cum fine aestatis a Thucydide conclusam fuisse, Kruegerus ostendit, non nisi iter fuisse neque illud perfectum, Lacedaemoniis ad pacem propensis. Addi possit fortasse, Boeckhium hoc loco minus apte cogitare de *σπονδαῖς* posterioris anni die 25. Elaphebolionis factis, nec melius hanc vocem ab eo reddi *inducias*, ubi quinquaginta annorum foedus intellexit. Minime vero illuc spectant *σπονδαί* de quibus hic fit sermo: verum Thucydides, quam lib. IV. c. 117., ubi dedita opera hanc rem tractabat, accuratius vocavit *ἐκεχειρίαν*, eodem nomine in ipso psephismate c. 118. appellatam, hic rem obiter commemorans, dixit *σπονδάς*, qua igitur voce ne intelligamus quidquam diversum ab eo, quod statim legitur, *καὶ ἐν τῇ ἐκεχειρίᾳ*.

Verum et contentionem Arnoldum inter et Clintonum, etsi dirimere iuveni non datur, paullo tamen accuratius consideremus. Supra iam vidimus, reliqua veterum scriptorum testimonia a Clintono allata, partim utrique favere, partim Arnoldo prorsus adversari. Quae addidit de Thessalo, ter eodem mense, quo Delphis praemium adeptus erat, coronato, nondum Hecatombaeonem prae ceteris Attici anni mensibus indicant, ut satis probavit Dissenius, qui Boeckhii de Pythiorum tempore doctrinam secutus, ad Pindari l. c. (1) tria alia festa enumeravit, quibus vernali mense Athenis coronari potuerit. Nec dubito, quin certiora si nobis cognita essent de tempore, quo Athenienses ludos, festa, certamina instituere solebant, idem de omni fere Atticorum mense probari posset. Ne Apollinarium quidem ludorum comparationem, quos Romani ante diem quintum Idus Quinctiles celebrare solebant, tantum valere arbitror, ut etiam Graecorum ludos eodem tempore celebratos dicamus. Multo magis nos movent Boeckhii verba, quorum momentum sensit etiam Poppo, neque indigna videntur, quae hic iterum describantur: »Pythia eodem fere tempore habita esse, quo convenisset Amphictyonum concilium, tum inde patet, quod Amphictyones ludorum Pythiorum praesides sunt, eorumque hieromnemones ante Pythia curare Delphis multa debent (2), tum ex Aesch. c. Ctes. p. 645. (c. 93.): *ἡμερῶν μὲν ὀλίγων μέλλει τὰ Πύθια γίγνεσθαι καὶ τὸ συνέδριον τὸ τῶν Ἑλλήνων συλλέγεσθαι.* Itaque Pythia aut auctumno habita sunt aut vere."

Restat ut videamus, quid porro Arnoldus rationi obiecerit, qua Clintonus Thucydidis locum explicavit. Quae huc fere redeunt: 1.) Plus quam perfecti temporis usus; quem ipsum tamen hoc loco requiri puto, quia revera iam prius solutae erant induciae, quam Cleon Athenis proficisceretur, isque belli status durabat usque ad Pythia. 2.) Expeditio

---

(1) Ol. XIII. vs. 50-55. ed. min.

(2) Conf. cel. viri Corp. Inscr. n. 1688. vs. 37. add. 1689 et 1689. b.

Cleonis, quem operibus bellicis paullo amplius duobus mensibus occupatum cogitari posse opinatur Arnoldus, dum fieri prorsus nequeat, ut sex menses illa duraverint, id quod statuendum, si induciis vere praeterlapsis, Cleon paullo post Toronen et Amphipolin navigavit. Adiicit vir doct., idoneam posse reperiri causam, ob quam induciae ad Hecatombaeonem usque prorogatae fuerint, eamque in eo esse quaerendam, quod, renitente factione ad pacem proclivi, Cleon non sine multa controversia expeditionem Atheniensibus persuaserit. Elicuit hoc argumentum e verbis *᾿Αθηναίους πείσας*, paullo subtilius, ut mihi certe videtur, quum non desint loci, ubi verbum *πείθειν* inveniatur absque ulla resistendi notione (1). Conferri quoque potuerat c. 7., *καὶ οἴκοθεν ὡς ἄκοντες αὐτῷ ξυνῆλθον*; quae tamen verba potius accipi velim de militum odio in ipsum Clodium, vehementem nec satis peritum praetorem (2), quam quod ipsi Athenienses ab expeditione alieni fuerint. Nec video, quare Cleon (etiamsi statuas, improbante Kruegero, c. 2. verba *Κλέων δέ κ. τ. λ.* arcte esse iungenda cum prioris capitis initio, *τοῦ δ᾿ ἐπιγιγνομένου κ. τ. λ.*, ut haec tantum spectent ad alterum membrum, quaeque ei annexa sint), Munychione, quo tendunt verba *τοῦ δ᾿ ἐπιγιγνομένου θέρους*, eodemque affecto, (propter omissa verba *ἅμα τοῦ ἦρος ἀρχομένου*) Athenas solvere non potuerit; qui ad Scionen aliquamdiu moratus, ante pugnam ad Amphipolin gestam Toronen cepit, ibique ad res constituendas satis diu mansisse videtur. Hoc autem facile inde colligitur, quod Thucydides (c. 3.), postquam urbis expugnationem narravit, non statim subiungit: *καὶ ὁ μὲν Κλέων φυλακὴν καταστησάμενος τῆς Τορώνης ἄρας κ. τ. λ.*; sed interponit Panacti a Boeotis occupatae mentionem. Cleonis impetum retardavit nonnullorum quoque oppidorum oppugnatio, e quibus Stagirum frustra aggressus, Galepso autem potitus est. Nec contemnenda verba, quorum vim sibi adversantem elevare conatus est Arnoldus: *ὁ δὲ Κλέων τέως μὲν ἡσύχαζεν*, collatis iis quae c. 6. leguntur: *αὐτὸς ἡσύχαζε περιμένων ἐν ᾿Ηϊόνι.* Cleon enim consilii inops proelium libens detractabat, Perdiccae Thracumque auxilia praestolans. Quam moram ne iusto breviorem habeamus, prohibet ipse Thucydides; conf. c. 7., ubi Atheniensium exercitus, praetoris ignaviam graviter ferens, ipsum coegisse dicitur, ut secum adversus Amphipolin tenderet. Quo circa Arnoldo id dari potest, si Pythia revera Hecatombaeone celebrata fuerint, defendi posse illorum sententiam, qui dicant, Cleonis expeditionem haud longiorem fuisse, quam quae Hecatombaeone affecto suscepta, ante aestatis exitum finiretur: eadem vero expeditio longe maius consumere potuit temporis spatium, ut nulla adsit causa cur eam toti fere aestati adscribere recusemus. 3.) Quod ultimo loco obiicit Arnoldus: Pythiorum mentionem

(1) Animadvertisse sufficiat, haud raro verbo *πείθειν* addi *ἑκών*, cuius locutionis exempla praebet Xenoph. Anab. V. 1. § 14. Hell. VI. 1. § 14.

(2) C. cit. *ἀναλογιζομένων δὲ τὴν ἐκείνου ἡγεμονίαν πρὸς οἵαν ἐμπειρίαν καὶ τόλμαν μετὰ οἵας ἀνεπιστημοσύνης καὶ μαλακίας γενήσοιτο, κ. τ. λ.*

auctumno nequaquam convenire, quia Thucydides pro more suo dixisset: *μέχρι τοῦ ἐπιγιγνομένου χειμῶνος*, Hecatombaeoni vero esse aptissimam, illud responderi potest: ludorum mentionem nequaquam ab hoc loco esse alienam; contra, ne ferri quidem posse verba *μέχρι τοῦ ἐπιγιγνομένου χειμῶνος*, quibus usus fuisset Thucydides, si in narratione progressus, a pactis auctumno induciis res eiusdem anni hieme gestas commemorare incepisset. Hic vero, quum significare vellet, quo usque nullae essent *σπονδαί*, ipsam occasionem memoravit, qua factum fuerit, ut bello finis imponeretur.

Ex iis, quae de annuis induciis huius anni vere solutis disputavi, apparet me assentiri non posse eiusdem Arnoldi sententiae, de Delo aestatis tempore lustrata. In eo certe erravit vir doct. quod ludos solennes, in Delii Apollinis honorem institutos, huic aestati assignavit; qui, quum non saepius quam quinto quoque anno redirent (quae ipsa Arnoldi sunt verba), tertio vero prioris Olympiadis anno primum celebrati fuerint (1), hac aestate omnino edi non potuerunt. Induciae mense Munychione solutae sunt, sed *ἐν τῇ ἐκεχειρίᾳ* lustrata Delos. Dubitari possit, utrum illa lustratio ineunti veri, an exeunti hiemi, sit adscribenda. Prius Historici consuetudini magis quidem convenit, quem dicas lustratae insulae narrationem postposuisse solutarum induciarum mentioni, quae singulae res eodem fere tempore ineunte aestate acciderint, haec longe maioris fuerit momenti. Sed magis placet Dodwelli opinio, coniicientis, ea quae superioris hiemis fine gesta sint, veris initio recensuisse Thucydidem. Quod sane mirum cuivis accidat reputanti consuetum Historici morem, abs quo eum saepius discessisse Dodwello vix concesserim. Hic vero si causam quaerimus, insigne Historici artificium deprehendisse mihi videor. Athenienses, ut monet Thucydides, simulabant insulae lustrationem iterandam esse, *ἡγησάμενοι κατὰ παλαιάν τινα αἰτίαν οὐ καθαροὺς ὄντας ἱερῶσθαι, καὶ ἅμα ἐλλιπὲς σφίσιν εἶναι τοῦτο τῆς καθάρσεως κ. τ. λ.*, quo moti Delios insula eiecerunt; expulsis Pharnaces oppidum Atramyttium habitandum concessit (conf. VIII. 108.). Atheniensium superstitionem, inhumanitatem ac violentiam satis mirari non possumus: quin sponte sua nobis oboritur suspicio aliam subfuisse causam, qua Athenienses ad hanc agendi rationem permoverentur. Nec tantum est, quod suspicemur; diserte eam memorat Diod. XII. 73., Delios ab Atheniensibus insula eiectos fuisse dicens, quod clandestinam cum Lacedaemoniis iniissent societatem (2). Eamdem, etsi diserte non memoravit, innuisse videtur Thucydides; quod eo magis pateat, si in textum recipere licuerit voculam *δή*, apud Grammaticos, qui ex hoc loco sua duxerunt, obviam, nec parum aptam ad *simulandi* consilium indicandum. (Conf. III. 104. *τὴν Δῆλον ἐκάθηραν Ἀθηναῖοι κατὰ χρησμὸν δή τινα;* ibique Bloomf.) Quodsi hanc opinionem viris harum rerum peritis aliquatenus

(1) Vid. ad a. 426.

(2) Conf. Dorv. in Misc. Obss. Vol. VII. p. 23.

probare potuerim, totum Thucydidis locum, capite 1. et 2. in. sic accipiendum putem: »aestatis initio σπονδαὶ superiori anno factae prorsus solutae erant. Proxime praecesserat Deli lustratio, quae, etsi nulla hostilis actio vocari poterat, Lacedaemonios tamen, quibus Delii clam amici erant, ita exacerbavit, ut praeterito induciarum tempore illas instaurare noluerint. Qua occasione usus est Cleon, utque bellum intermissum suscitaret, civibus expeditionem in Thraciam persuasit."

De ista Cleonis expeditione pauca addamus. Prius autem dicendum nonnihil de iis rebus quae eodem fere tempore, quo Cleon domo aberat, in Attica acciderunt. Vertente igitur aestate Boeoti Panactum, Atheniensium castellum in Boeotiae finibus situm, per fraudem ceperunt: Thuc. V. 3. fin. Quod damnum, quamquam in vicinia acceptum, tamen non impedivit, quo minus Athenienses, bello quoque in Thracia occupati, verum otii, quo ab annuis Lacedaemoniorum irruptionibus fruebantur, pertaesi, novas res tentarent. Graviter enim ferentes, quod Praetores in Siciliam missi domum rediissent, compositione a Siculis inter se facta, lubentes usi sunt occasione, sibi Leontinorum cum finitimis dissidio oblata, qua Siculorum rebus iterum se immiscerent. Eo missus Phaeax (1) cum duobus collegis, Camarinaeis Agrigentinisque persuasit, ut Leontinorum factionem popularem servarent, et Syracusas communi aggrederentur consilio. Sed quum apud Gelaeos res ei non bene successisset, de eventu desperans domum revertit, et nonnullis in itinere civitatibus in fide confirmatis, sibive conciliatis, Athenas advenit χρόνῳ ὕστερον, aestatis finem versus: Thuc. V. 4. sq. Taylorus Lectt. Lys. c. 6. p. 695. hanc Phaeacis legationem commemorari putat in oratione c. Alc., quam Phaeaci tribuit. De Phaeace autem illic cogitari non posse, probavit Valckenaerius, qui tamen in reliquis minus nobis satisfacit, ut ad a. 415. pluribus dicemus.

Ad Cleonem redeamus. Supra iam dictum est, Atheniensium exercitum ignaviae pertaesum, qua praetor Perdiccae Thracumque auxilia praestolabatur, huiusque pusillanimitatem cum Brasidae audacia et peritia comparantes, postulasse ut se adversus Amphipolin duceret. Ita, secunda fortuna elatus, qua ad Pylum usus fuerat, cum expedita manu profectus est, tamquam locum exploraturus, urbemque data occasione de improviso occupaturus. Id ipsum speraverat Brasidas, qui copiis in vicinum collem, quo totam regionem prospicere, ipsae conspici non poterant, subductis, Cleonem relictas machinas iam desiderantem subito aggreditur. Hic pro fiducia metus Cleonis animum occupat; qui turpiter in fugam se coniiciens, ipse interficitur, magna strage a Spartanis inter Athenienses edita. Conf. Thuc .V. 6-10., Aristid. II. p. 262. Suid. in v. Κλέων, quique aliter hanc rem narrant, Diod. XII. 74. Front. I. 5. § 23. Polyaen. I. c. 38. Schol. Pac.

---

(1) De eo nonnulla vett. script. testimonia collegit Runk. ad Eupolid. fragm. p. 88. citata etiam a Poppone.

vs. 283. Conf. Isocr. Arch. c. 23. Ex Atheniensibus cum imperatore (1) sexcenti milites perierunt, qui numerus eo maior nobis videbitur, si reputaverimus, Atheniensium exercitum fuisse *καθαρόν* (Thuc. V. c. 8), i. e. ex *ἐπιλέκτων ἀνδρῶν* (Athen. V. p. 215.) constitisse. E Lacedaemoniis non nisi septem (2) ceciderunt, at inter eos ipse Brasidas, quem Amphipolitani summis honoribus elatum postea tamquam heroëm coloniaeque conditorem coluerunt. Thuc. c. 11. ibique Popp. Plut. in Lyc. c. 30. p. 58. E. Conff. porro loci a Clintono ad h. l. laudati, e quibus emendandus Scholiasta ad Luciani Timonem c. 30. Spartani quoque mortuum Brasidam iisdem honoribus affecerunt, quibus Leonidam, eique cenotaphium posuerunt, Paus. III. 14. 1. Celebratum est Argileonidis de filio iudicium, de quo vid. Poppo ad Thuc. V. 11. § 2., qui etiam Plut. in Lyc. c. 25. p. 55. huc referre potuerat. Docet idem e Plut. in Apophth. Regg. p. 207. F. quanti eum fecerit Augustus. Ceterum Thucydidis de Cleone et Brasida iudicium brevibus contractum videas apud Popponem Prolegg. 2. p. 84. 114. Conf. et Wachsm. I. 2. p. 168. sq. 181. sqq. C. F. Hermann. § 164. n. 7. Suspicatur autem Wachsm. I. 2. p. 209. Helotas, qui cum Brasida fuerunt, ad illius memoriam colendam a Spartanis Brasidaeos fuisse appellatos. Putaverim non publicam fuisse appellationem; sed Thuc. V. 67. aliosque fortasse ita locutos fuisse, ut illorum praestantiam indicarent.

De induciis, quas e Clintoni sententia statim post pugnam ad Amphipolin repetitas fuisse opinor, supra satis dictum videtur. Praeter Thuc. V. 14-17. conf. Plut. Nic. c. 9. p. 528.

Protagoram hoc anno iterum Athenis affuisse, docemur Athenaei verbis a Clintono citatis. At minus recte hic cepisse videtur verba, quae lib. V. p. 218. leguntur, *παραγεγονότος τὸ δεύτερον*, quasi illis Athenaei sententia indicetur, quum potius ad Platonem sint referenda. Conf. Plat. Protag. c. 2. p. 310. E. Stallb. in praef. p. 17. et Comm. mea *Obs. LII*, ubi de loco Athenaei quaedam annotavi.

In Aristophanis fabula, *Εἰρήνη* inscripta, vs. 801. (835.) mortuus ridetur *Ion Chius*, poeta Dithyrambicus et Tragicus, quem hoc ipso, qui Pacis editionem praecessit, anno decessisse, ex iis apparet, quae dixit Bentl. in Ep. ad Millium. Celeberrimi viri sententiam probavit C. Nieberding, de Ionis Chii vita et scriptis. Lips. 1836. p. 3.

De Vesparum Didascalia, quae misere corrupta ad nos pervenit, multae sunt virorum doctorum opiniones et coniecturae. Legitur illa e correcta Ravennatis libri scriptura (conf. G. Dindorfius ad Aristoph. fragmm. p. 67.): *ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀμεινίου διὰ Φιλωνίδου, ἐν τῇ πθηι ὀλυμπιάδι β΄ ἦν· εἰς Λήναια· καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλω-*

(1) Reliquit Cleon filium Cleomedontem, post Euclidem Archontem (403.), Choragio victorem (Corp. Inscrr. I. p. 343.) Natus huic filius, de avi nomine Cleon dictus, de quo vid. Demosth. c. Boeotum. c. 1.

(2) Septenarium numerum recte defendisse videtur Arnoldus ad cap. 11. § 2.

νίδης Προαγῶνι, Λεύκων Πρέσβεσι γ'. Quaesiverunt nonnulli, qui fieri potuerit, ut Philonides Aristophanis comoediam, Vespas, suo nomini adscribi pateretur, dum ipse eodem tempore aliam doceret. Quum vero apud Suidam, in voce Φιλωνίδης, nulla Προαγῶνος fiat mentio, Aristophanis comoedia cognominis sit celebratissima, Philonidi hanc comoediam abiudicarunt viri docti. Meinekius, Q. S. II. p. 39., pro διὰ Φιλωνίδου legendum censet διὰ Καλλιστράτου, quam mutationem Dindorfius l. l. merito »non lenissimam" vocavit (1). Hic autem Aristophanem duabus fabulis, Proagone et Vespis, quam utramque Philonides *egerit*, prima praemia reportasse putat. Hanovius p. 25. opinatur, Proagoni fabulae Aristophaneae Philonidem nomen dedisse, Vesparum eumdem Philonidem fuisse protagonistam. Clintonus (2) denique, qui in eamdem, quae Kanngiesseri fuit, coniecturam, Dindorfio maxime et iure improbatam, incidit pro β' ἦν legens β' ἔτει, e Codicis Paris., quo usus est Brunckius, lectione: ἐνίκα πρῶτος Φιλωνιδης..... προάγων, κ. τ. λ. confirmationem petit Palmerianae explicationis: »vicit primus Philonides, [secundus]..... Proagoni." Itaque Philonidem putat Vesparum actorem fuisse, et primas Σφηξίν esse delatas. Cui opinioni quo minus accedere possim, duae prohibent causae, quarum altera Clintonum solum spectat, altera ad Dindorfium quoque et Hanovium pertinet. Quod enim putat Clintonus, primas Σφηξίν concessas fuisse, ne dicam, quod monuit Dindorfius, lectionem β' aliarum didascaliarum comparatione prorsus confirmari, nondum perspicio quid sibi velit repetitio ἐδιδάχθη διὰ Φιλωνίδου et ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης. Quod autem ad alteram causam attinet; iam satis constat, verba διδάσκειν vel καθιέναι δράματα διά τινος, de poëta usurpari, qui suas comoedias alieno nomine *doceat;* de histrionibus vero, qui *agant*, dici ὑποκρίνεσθαι. Ita Rankius p. 225. apte observavit, de *histrionibus* sermonem hic fieri non posse, sed eos esse intelligendos, qui *suo nomine* Aristophanis fabulas in certamen commiserint. Vid. doct. viri Comm. saepius laudata c. XIX. Nec dubitandum putem, quin eidem viro assentiendum sit, ubi p. 229. ipsum Aristophanem suo nomine Vespas edidisse affirmat; etsi audacior videtur verborum διὰ Φιλωνίδου neglectio. At tamen negari non potest, ipsum poëtam Rankianae sententiae haud parum favere, qui satis indicavit, eumdem, per quem Equites Nubesque doctae fuerint, Vesparum quoque auctorem fuisse.

Multae in hac Comoedia cernuntur temporis notae. Missis iis quae ad antiquissimam historiam, Persica bella, Naxum Byzantiumque pertinent, quaeque posteriora spectant, exsilium v. c. Thucydidis Melesiae filii, iudiciumque Lachetis; (conf. ad a. 425.); Cleon vivus saepe tangitur (videantur et alii versus, et 62., ubi ad Equites respicitur): Brasidas vs. 473. sqq.:

---

(1) Cf. etiam F. V. Fritzsche Quaestt. Aristoph. I. p. 147. (2) Conf. ad h. a. et Prooem. p. xi. not. i. n. 12.

. . . . ὦ μισόδημε
καὶ μοναρχίας ἐραστά,
καὶ ξυνὼν Βρασίδᾳ, καὶ φορῶν
κράσπεδα στεμμάτων, τήν θ' ὑπή-
νην ἄκουρον τρέφων.

Memorantur οἱ προδόντες τἀπὶ Θρᾴκης vs. 289. Scione iam defecerat, et obsidentibus multum negotii facessebat. Cf. vs. 210. Quin vs. 863. sqq.:

καὶ μὴν ἡμεῖς ἐπὶ ταῖς σπονδαῖς
καὶ ταῖς εὐχαῖς φήμην ἀγαθὴν
λέξομεν ὑμῖν, ὅτι γενναίως
ἐκ τοῦ πολέμου
καὶ τοῦ νείκους ξυνέβητον:

quamquam Bdelycleoni eiusque patri, qui nuper secum invicem in gratiam redierant, optime conveniunt, haud dubie annuas inducias respiciunt; erant tamen Lacedaemonii Atheniensibus invisi: vs. 1159. Manifestum quoque temporis indicium praebet Parabasis vs. 1038., ubi respicitur ad Nubes quas πέρυσι docuit poëta. Denique non omittenda Scholiastae ad vs. 61. annotatio, ex qua apparet, ad exagitandum Euripidem scriptam fuisse fabulam Proagonem, atque ita Aristophanem apposite negasse, eadem occasione eumdem hominem bis a se traductum iri. Conf. Dind. p. 68. E Proagonis fragmentis nihil colligere licuit, quo communis de tempore commissionis opinio confirmaretur; nec quidquam iuvit Leuconis fabula, etsi titulus Πρέσβεις satis indicat argumentum dramatis, cuius conficiendi occasionem legati, induciarum tempore ultro citroque missi, praebuisse videntur (1).

Memorantur porro a Clintono αἱ δεύτεραι Νεφέλαι, magnis Dionysiis actae. Nititur doct. viri sententia Arg. Nub. V. Bekkeri et Schol. ad vs. 31., cuius auctoritatem minoris, quam par esset, a nonnullis aestimari arbitratur. Cf. Clint. Prooem. p. xli. not. i. Hermannus vero in Praef. p. xiii., Clintoni sententiam minime probat; his tamen addit Schol. ad Nub. 542. (538.) et ad Vespp. vs. 1039. (1044.) quoniam superiore anno *priores* Nubes actae fuisse ibi dicantur. Probabilior mihi videtur Dindorfii p. 16. sententia, cui ex parte assentitur Fritzschius Q. A. p. 180. not. 23., animadvertens, errorem sibi non adeo e mala vs. 31. interpretatione ortum videri, quin potius mala interpretatio ex errore illo antea suscepto fluxerit. Sed Vespae, quae fabula archonte Aminia data est, cum Nubibus II. facile confundi potuit, ideo quod in utraque parabasi et Vesparum et Nubium II. spectatores a poëta reprehensi sunt. Dindorfii coniecturam non probat Rankius p. 287., qui tamen haud meliora protulisse videtur.

(1) Aliam de Leuconis comoedia protulit sententiam Welckerus in Mus. Rhen. I. I. 6.

Quae in Eupolidis comoedia, *Χρυσὸν γένος* inscripta, occurrit vivi Cleonis mentio, vetat eam post hunc annum in scenam commissam putare: quamquam Fritzschio (l. l. p. 145. not.) concedo, incertum esse, utrum paullo ante Vespas, an paullo post eas, in scena exhibita sit fabula. Fragmenta, ex quibus fabulae argumentum haud facile eruas, collecta sunt a Runkelio p. 160; supplevit Fritzschius l. l. p. 146. not.

Eiusdem Eupolidis comoediam, *Ἀστράτευτοι ἢ Ἀνδρογύναι* dictam, hic adiiciamus, quia *Εἰρήνην*, sequentis anni vere actam, tempore praecessit, si Clintoni aliorumque auctoritatem sequaris, Schol. Pac. vs. 808. (779.) huc referentium. Mihi vero hoc Scholion aliam quoque explicationem admittere videtur, ita ut de commissionis tempore nullum certum testimonium praebeat. Argumentum satis e titulo apparere dicit Runk. p. 91. Ceterum ut ab Eupolide ceterisque Comicis, ita a Xenophonte inter *ἀστρατεύτους* refertur Pisander. Symp. c. 2. § 14. quem Dialogum, quum Aristione Archonte habitus esse fingatur, apte huc conferas.

A. C. n. 421. Ol. LXXXIX.

3. ALCAEUS.
4. ARISTION.

Brasida et Cleone caesis, Plistoanax Niciasque feliciori successu pacem popularibus persuadere conati sunt, et animis post Amphipolitanam pugnam ad belli compositionem proclivioribus, hiemis tempore de pace agitata sunt consilia; haud probantibus nonnullis utriusque populi sociis. Conf. Thuc. V. 17. fin. Aristoph. Pac. vs. 456-503. Philoch. ap. Schol. vs. 458. sed vid. Goell. ad Thuc. I. 114. In ipsa quoque tam Lacedaemoniorum quam Atheniensium civitate complures erant, quibus pax ingrata esset, Alcibiades v. c. (Plut. Nic. c. 10. p. 529.), Lamachus, ob eam causam non uno loco ab Aristophane notatus. Conf. v. c. Pac. vs. 304. 465. coll. 1176. sqq. Sed illuc revertor.

Pacem fecerunt *Ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς ἕκτῃ φθίνοντος* (11 Aprilium) Thuc. V. 19. sqq. At sequenti capite legimus, hanc pacem *τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος* constitutam fuisse; ut opinio in proclivi sit, Thucydidem huius anni aestatem a Munychionis initio computasse. Quod, fateor, adversari videtur Dodwelli sententiae quam nostram fecimus, de ratione quam Thucydides secutus sit in definiendis iis aestatibus, quas praecesserit

mensis Embolimaeus. Neque admitti potest suspicio, in quam quis fortasse incidat, verba *τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος* alieno loco legi; prohibent enim quae c. 24. inveniuntur: *καὶ τὸ θέρος ἦρχε τοῦ ἑνδεκάτου ἔτους.* Difficultatem ita tolli posse crediderim, ut idem teneamus, quod in definiendo B. P. initio observandum diximus, Comm. cit. *Obs. XXXII.* Si quidem Thucydides, quoties posteriori tempore indicare velit, quantum temporis spatium iam inde a belli initio praeterlapsum esset, ipsas res gestas non adeo curat, sed computat ab initio veris, primo P. Belli anno ab ineunte Munychione repetendi. Conf. Dodw. p. 79. B. Nec dubito, quin Thucydides, si opus absolvisset, memorata Athenarum subactione septimum et vigesimum B. P. annum finitum dixisset, licet urbs sexto decimo Munychionis die, capta fuerit. Conf. V. 26. *ἔτη δὲ ἐς τοῦτο τὰ ξύμπαντα ἐγένετο τῷ πολέμῳ ἑπτὰ καὶ εἴκοσιν.* Conf. Dion. Halic. de Thuc. iud. c. 12. ibique Krueg. p. 89. Eadem ratione et hoc loco priorem B. P. partem, sive Archidamium bellum, decem aestatibus ac totidem hiemibus comprehendens, illius historiam ab initio veris exorsus est. Quum vero hoc anno mensis Elaphebolion nondum totus effluxisset, quo tempore pax Lacedaemonios inter et Athenienses composita est, Thucydides verbis *αὐτοδέκα ἐτῶν διελθόντων* addidit: *καὶ ἡμερῶν ὀλίγων παρενεγκουσῶν*, i. e. »praeteritis ipsis decem annis, si paucos dies vel addas, vel demas quibus spatium expleatur ad illud tempus usque, quo prima invasio a Peloponnesiis facta est, et bellum istud initium habuit." Haec Schneideri explicatio, quam probarunt novissimi Thucydidis interpretes, meae opinioni prorsus favet, quia *demendi* sunt aliquot dies, si aestatem ex mente Thucydidis iam inceptam spectamus; *addendi* vero, si a Munychionis initio bellum repetimus. Quod autem contendit Goellerus, assentiente Arnoldo, vigesimum quartum Elaphebolionis diem non ultra quartum Aprilium excurrere potuisse, intercalarem Posideonem II. non attendit. Neque tamen admittenda est Dodwelli vocis *παρενεγκουσῶν* explicatio, qui ut *addendi* significationem servaret, ad normam adeo Iulianam confugit. At Dodwellum nimis multos sequi male securos, iure queritur Goellerus.

Lacedaemonii pacem sibi cordi esse statim ostenderunt. Qui, quum sibi sorte obvenisset, ut quae in bello capta essent primi traderent, legatos in Thraciam miserunt curaturos, ut Atheniensibus urbes redderentur. Thuc. V. 21. Plut. Nic. c. 10. p. 529. B. Petierunt quoque a sociis, ut foedus cum Atheniensibus inirent, quibus illud recusantibus, ipsi quinquaginta annorum foedus fecerunt. Thuc. V. 22-24. Diod. XII. 74. Plut. l. l. Philoch. l. l.

Momordit hoc inprimis Corinthios, praecipuos B. P. auctores, qui nec pace accepta, neque, ut Boeoti, decemdialibus induciis (Thuc. V. 26.), reliquos Peloponnesi incolas adversus Lacedaemonios excitarunt. Et primum quidem Argivorum optimatibus in suas partes perductis populo persuadent, ut cuique liberae civitati potestatem faciant societatis secum iungendae, exceptis Atheniensibus ac Lacedaemoniis. Ad quam quum

accessissent Mantinei, metuentes ne Lacedaemonii Arcadiae partem, qua potiti erant, sibi eriperent, tota Peloponnesus conturbari coepit; eo inprimis commota, quod verba in foederis, a Lacedaemoniis cum Atheniensibus iuncti, tabula adscripta metum iniiciebant, ne potentissima utraque civitas minores in servitutem redactura esset. Hos motus comprimere frustra conati sunt Lacedaemonii, nec Corinthios in suas partes perducere potuerunt. Mox vero et Elei, Lacedaemoniis irati, quod Lepreatas in libertatem vindicarant, ad Argivos se applicuerunt: quorum exemplum secuti sunt et ipsi Corinthii et Chalcidenses Thraces. Thuc. V. 25. 27-31. Diod. Sic. XII. 75. qui quum alia negligentius narravit (1), tum Thebanos ad Peloponnesiorum societatem accessisse tradit. Sed audi Thuc. l. l. *Βοιωτοὶ δὲ καὶ Μεγαρῆς τὸ αὐτὸ λέγοντες ἡσύχαζον, περιορώμενοι ὑπὸ τῶν Λακεδαιμονίων καὶ νομίζοντες σφίσι τὴν Ἀργείων δημοκρατίαν αὐτοῖς ὀλιγαρχουμένοις ἧσσον ξύμφορον εἶναι τῆς Λακεδαιμονίων πολιτείας.* Conff. inprimis quae leguntur c. 32., e quo loco discimus, Corinthios omnia tentantes, ut quam plurimas Graeciae civitates Argivo foederi adiungerent, illud a Boeotis Tegeatisque impetrare non potuisse, deinde ab Atheniensibus decemdiales inducias frustra petivisse. Fuit tamen illis *ἀνακωχὴ ἄσπονδος πρὸς Ἀθηναίους.* Argivorum cum Corinthiis amicitiam memorat Philochorus ap. Schol. ad Pac. vs. 467. 469.

Chalcidensium ad Argivorum foedus accessio multum eo fecit, ut Athenienses rebus in Thracia gerendis maximam darent operam, et terrore frangendos putarent, quos defectionis suspectos haberent. Capta igitur Scione, e Cleonis decreto (v. ad a. 423.) omnes puberes interfecti sunt, imbelles in servitutem abducti, regio Plataeensibus habitanda concessa. Thuc. V. 32. Diod. XII. 76. Isocr. Panegyr. c. 31. Immanis ista crudelitas, in Mytilenae quoque et Meli expugnatione conspicua, Atheniensibus postea saepe exprobrata est. Conf. Diod. XIII. 30. Isocrates Panath. c. 22; quam labem abstergere cupientes Isocr. Panegyr. c. 29. eumque secutus Aristid. Panath. I. p. 174. sqq., diluere tamen non potuerunt.

Mitiori animo fuerunt Athenienses in Delios, quos patriae extorres, atque Atramyttii degentes in pristinas sedes restituerunt. Thuc. ibid. Diod. XII. 77. Plut. de defect. Orac. c. 5. p. 624. Conf. Sancto-Crucius p. 146. et Dorvillius in Misc. Obss. l. c.

Lacedaemonii quoque pacis opportunitate usi sunt, ut damna diuturno bello accepta resarcirent. Rebus igitur in vicinia constitutis, Parrhasiisque, qui inviti Mantineis parebant, in libertatem vindicatis, internas res curarunt. Quo magis autem confirmarentur, servos qui cum Brasida militarant, liberos esse iusserunt, eosque in oppido Lepreo collocarunt, quo se ab Eleis tutos praestarent. Cives vero in Sphacteria captos, sed post pacem redditos ignominia notarunt, quamquam hi non ita diu post in integrum restituti sunt, ut e Diodoro colligere licet XII. 76. Thuc. V. 33. sqq., ad quem locum Poppo citavit Appian. VIII. 112.

---

(1) Meminit v. c. decem virorum quibus Athenienses hoc tempore dederint *ἐξουσίαν ἔχειν βουλεύεσθαι περὶ τῶν τῇ πόλει συμφερόντων.* Vereor ne intelligendi sint *πρόβουλοι* post cladem in Sicilia acceptam creati, de quibus vid. ad a. 413.

Hac igitur aestate in ipsa Graecia a bello cessatum est; sed utraque civitas statim post factum foedus sibi invicem suspecta esse coepit. Querebantur Athenienses, quibus nuper etiam Thyssus erepta erat, neque Amphipolin nec cetera sibi reddi, Lacedaemonios praeterea non stare promissis, qui secum pacti essent, fore ut Corinthii ceterique socii communi pace uti nolentes, communes haberentur hostes. Quam ob rem negarunt se Pylum aut quaecumque cepissent, reddituros. Lacedaemoniis autem affirmantibus, quae in sua potestate fuissent, Atheniensibus esse reddita, Amphipolin non esse in sua ditione, sed operam a se datum iri, ut redderetur, Boeotique et Corinthii ad foedus accederent; Atheniensibus, quamquam Pylum non reddiderunt, tamen persuasum est, ut Messenios inde abducerent. Thuc. V. 35. Diod. XII. 77. Interim Ephoris qui foedus fecerant, alii successerunt, in quibus Cleobulus et Xenares, paci adversantes (circa auctumnale aequinoctium, ubi initium Laconici anni. Conf. Idel. I. p. 362. Herm. Ant. Gr. § 44. 2. Poppo ad Thuc. V. 36.). Hi, legatis quos Graeciae civitates Spartam miserant, infecta re domum redeuntibus, Boeotos Corinthiosque rogarunt, ut Argivos sibi conciliarent. Qui, dum operam suam polliciti domum pergunt, in via offendunt duos e summo Argivorum magistratu, qui ibi Boeotos opperiebantur, ut agerent de foedere secum iungendo. Legati illud ad Boeotarchas retulerunt, qui et ipsi societatem comprobantes, Boeotorum quatuor conciliis (1) suaserunt, ut iureiurando iis civitatibus se adiungerent, quae ad auxilia sibi invicem praestanda societatem initurae erant. Sed omiserunt commemorare quae clam facta essent Spartae et Argis; itaque Boeoti, timentes, ne societate inita cum Corinthiis, qui a Lacedaemoniis defecerant, hos a se alienarent, foedus abnuerunt. Thuc. V. 36-38.

Ipsum Comoediae argumentum quum evincat *Εἰρήνην* brevi post Amphipolitanam pugnam in publicum ab Aristophane productam fuisse, complures iam antea viri docti, Meinekius v. c. Q. S. I. 15., fabulam ad huius anni hiemem retulerunt. Quin Palmerii opinio, ad vs. 46., ex peregrinorum commemoratione (cf. et 297. sqq.) coniicientis fabulam *ἐν ἄστει* doctam fuisse, prorsus confirmata est nuper reperta a Bekkero in Cod. Ven. Didascalia; quam saepius vitiose descriptam ex Dindorfii emendatione (ad frgm. p. 65.), sed integram, hic apposuisse iuvat: *ἐνίκησε δὲ τῷ δράματι ὁ ποιητὴς, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου, ἐν ἄστει· πρῶτος Εὔπολις Κόλαξι, δεύτερος Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ, τρίτος Λεύκων Φράτορσι. τὸ δὲ δρᾶμα ὑπεκρίνατο Ἀπολλόδωρος ἡνίκα Ἑρμῆν Λοιοκρότης.* Postremum illud nomen vereor ne corruptum sit, sed intelligendus videtur *δευτεραγωνιστής*, qui raro sane exemplo una cum protagonista

(1) De his vid. Kluetz. de foed. Boeot. p. 75. et Boeckh. ad Corp. Inscr. citati a Poppone ad Thuc. c. 38. § 2.

Didascaliae adscriptus fuerit. Conf. Rankius l. l. p. 215. sqq. Ipsa vero poëtae verba magnam nobis in constituendo tempore movent difficultatem, ubi vs. 954. sq. ita loquitur:

Οἵ σου (sc. Εἰρήνης) τρυχόμεθ' ἤδη
τρία καὶ δέκ' ἔτη.

Neque aliter legit Scholiastes, qui ad vs. 353. sua haud dubie hinc petivit. Kruegero autem, qui ad Clint. h. a. his locis nihil tribuendum putat, invitus accesseris, etiamsi de explicatione fere desperaveris. Nec sane multum tribuas suspicioni, rem a poeta quodammodo exaggeratam esse, qui, invitante etiam anapaestico metro ad graves loquentis affectus et dolorem indicandum aptissimo, minus accurate *τρία καὶ δέκ' ἔτη* dixerit. Neque enim probabilem afferri posse causam putem, ob quam poeta, semel veritatis terminos transgressus, haud longius processerit. Restat igitur ut Aristophanem a vulgari sibique etiam consueta temporum computandorum diversam rationem secutum statuamus; ut v. c. Corcyraeorum turbas, quae P. B. facem accendisse censentur, ipsius belli initium vocaverit. Verum et hoc, ne temere excogitatum videatur, metuendum est; idque praecipue, quod hac ratione norma, ad quam res Aristophani memoratas redigas, incertior facta fere tota pervertitur; ut ne ea quidem, quae de Acharnensibus Equitibusque supra disputata sunt, satis demonstrata haberi possint. Fuit, quum de duplici editione cogitarem, a *Γεωργοῖς* diversa (1): insunt enim loci qui opportune de posterioribus Graecorum fatis accipiantur. v. c. vs. 242. (cll. Thuc. VI. 105.) vs. 467. 1033. Cf. et Interpp. ad vs. 295. et 442. Idem iam coniecerat Porson. ad vs. 528. propter notabilem lectionis varietatem; et vel in dramatis limine, scena servorum cum cantharo, passim suspicionem movebat, ex altera quadam editione in nostram irrepsisse, quae inter se non optime conveniant. Quam tamen opinionem pluribus hic proposuissem, nisi ab ea valde alienum expertus essem virum quemdam doctissimum, de me meisque studiis optime meritum.

Aristophani, qui secundos tulit honores, palmam praeripuit Eupolis nobilissima Comoedia *Κόλακες* inscripta. De qua brevibus nobis esse licet post Clintoni ad a. 422. annotationem. Ex ipso dramate, cuius argumentum versabatur in iis hominibus exagitandis, qui Calliae adulantes ipsius bona comedebant, nullae supersunt reliquiae (cf. Runkel. p. 124. sqq.) e quibus de actionis tempore certa quaedam doceas, quamquam minime negligenda est Protagorae mentio. De Leuconis fabula, nihil fere nisi nomen *Φράτορες* cognitum est. Cf. Meinekius Q. S. II. 51. et 76.

---

(1) Magnum profecto aggressus est Fritzschius, ubi Georgos ab altera Pace haud diversos probare instituit. Quod tamen quum haud frustra ab ingeniosissimo viro factum censuerit Hermannus, speramus ut brevi satisfaciat vir doct. magnae, quam nobis fecit, exspectationi. Vid. Q. A. p. 196. not.

A. C. n. 420. Ol. LXXX$\frac{IX.}{X.}$

4. ARISTION.
I. ASTYPHILUS.



Ἐν τῷ αὐτῷ χειμῶνι τούτῳ Μηκύβερναν Ὀλύνθιοι, Ἀθηναίων φρουρούντων, ἐπιδραμόντες εἷλον. Thuc. V. 39. init. ibique Poppo. Diod. XII. 77. fin.

Ipsa Graecia, quamquam a continuis belli calamitatibus paululum respirabat, partium tamen studiis dissidiisque vehementer agitabatur. Crevit etiam illa discordia, quum extrema hieme (ante 6. April.) privatam societatem cum Boeotis inierunt Lacedaemonii. Recusarant enim Boeoti, nisi foedus secum iunxissent Spartani, Atheniensibus se reddituros esse Panactum captivosque. Thuc. V. 39. Hoc audito Argivi, nescientes, Lacedaemonios clam Atheniensibus cum Boeotis egisse, ac metuentes ne soli relinquerentur, de quinquaginta annorum foedere renovando legatos Spartam miserunt. Quod quum Lacedaemoniis pergratum esset, qui et ipsi Argivorum amicitiam appetebant, de pacis conditionibus convenit, quae ut populo comprobandae darentur, profecti sunt legati ad Hyacinthia (cf. Poppo ad c. 41.) redituri. Sed Athenis interea auditur Panacti eversio, quae statim secuta erat foedus a Lacedaemoniis cum Boeotis initum. Itaque irati Athenienses, Lacedaemoniorum legatos sibi captivos reducentes, eversamque Panactum tamquam redditam existimari oportere contendentes, asperiori cum responso domum remiserunt. Thuc. V. 40-42. Plut. ll. mox ll.

Quanto gaudio haec offensio fuerit pacis inimicis, alacritas probavit, qua intermortuam discordiam suscitarunt et aluerunt. In his Alcibiades, haud unam ob causam Lacedaemoniis iratus, Argivos eorumque socios civibus suis conciliare summo studio nitebatur. Qui quum cognovissent, improbantibus Atheniensibus egisse Lacedaemonios, illorum popularis regiminis formam praeferentes, incepta foedera nihil curarunt, legatosque Athenas miserunt, quos Elei et Mantinei comitati sunt. Eodem profecti Spartanorum legati, notum est, quem risum populo praebuerint Alcibiadis fraude circumventi. Itaque infecta re redierunt, et Nicias, qui omni studio cavebat, ne bellum erumperet, vix obtinuit, ut ipse Spartam mitteretur. Ibi vero nihil efficere potuit, quam ut annuum foederis iusiurandum renovaretur. Quo audito, in Lacedaemonios magis etiam irati Athenienses centum annorum foedus cum Argivis eorumque sociis iunxerunt. Corinthii vero illius societatis participes esse recusantes ad Lacedaemonios rursus se applicuerunt. Thuc. V. 43-48. coll. VI. 89. VII. 86. Iusto brevior Diod. XII. 77. Plut. in Alc. c. 14. p. 197. sq. comp. Alc. et Coriol. c. 1. p. 213. Nic. c. 10. p. 529. sq. Thucydidem presse secutus est.

Elei autem freti auxilio Atheniensium, sub Olympiorum celebrationem Lacedaemoniis templi aditu interdixerunt, ut neque sacrificare ibi nec certare iis liceret, et Licham, nobilem Spartanum, qui bigis suis sed Boeotorum nomine praemium tulerat, deinde palam prodiens aurigam corona ornarat, lictoribus caedendum dederunt. Tantae severitatis causam praetendebant, quod poenam solvere noluerant Lacedaemonii, qui Olympicarum feriarum tempore milites Lepreum immiserant. (Cf. Boeckh. Expl. Pind. p. 494.) Lacedaemonii, quos metuebant Elei, ne armati illuc venirent, tamen quieverunt, sive religione sive custodiarum metu ab invasione absterriti. Thuc. V. 49. 50. ibique interpretes a Poppone citati. Paus. III. 8. § 2. V. 4. § 5.

Festo peracto Argivi Corinthios societate sibi adiungere conati sunt: quum vero et Lacedaemoniorum legati adessent, nihil peractum est, sed terrae motu territi, in suam quisque civitatem redierunt.

Modo vidimus, Alcibiadem circa haec tempora haud parum apud populum auctoritate valuisse; nec tamen solus illius favore fruebatur. Caeso enim Cleone, quamquam Athenienses paululum respirabant, publicaeque pecuniae aliquanto meliori erant conditione (quod reperisse sibi visus est Boeckh. Oec. Civ. I. 478. II. 200.); nihilominus civitas audaci multorum Demagogorum libidine commota est, qui levissimae plebis gratia freti, tantum terrorem adversariis, meliori parti addictis, iniiciebant, ut horum nemo palam eis sese opponere auderet. Eosdem tamen Demagogos, vilissimae ut plurimum sortis homines, et omne genus vitiis famosos, populus libenter in scena exagitatos conspiciebat. Hyperbolum (de quo vide Meinekium II. p. 27. sqq.), in primis, ut saepius Aristophanes, ita hoc anno Eupolis, misere laceravit scripta in eum comoedia, quam ad barbaram hominis originem indicandam, *Μαρικᾶς* inscripsit. Conff. Nubb. vs. 544. 552. et de Callimachi errore ad a. 423. p. 51. Acta videtur fabula Aristione Archonte, non vero Alcaeo, ut voluit Clintonus (1); scribit enim Schol. ad Nubb. locum l.: *ὕστερον τρίτῳ ἔτει τῶν Νεφελῶν*, quae verba ita accepit Clintonus, ut Archontes numerando, tertio ab Isarchi Dionysiis Archonte, Alcaeo, fabulam ab Eupolide actam opinetur. Sed *alteri* a Nubibus in scenam commissis anno finis imponebatur Dionysiis Archontis Alcaei; hinc tertius ad Aristionis Dionysia pertinebat. Non incongrue igitur ad huius Archontis Lenaea fabula referatur. Fragmenta vide apud Runk. p. 135. sqq.

Haud diu post Eupolidis fabulam, Hermippus *Ἀρτοπώλιδας* in scenam commisit. Cf. Arist. Nubb. vs. 544. (548.) 549. (553.) ibique Schol. ex quo coniicias non adeo Hyper-

---

(1) Error qui in Kruegeri versione invenitur, utrum auctori sit tribuendus, an interpreti, nescio. Id constat, legendum esse: paucis mensibus *post* Cleonis mortem.

bolum, sed potius illius matrem, ridendi causam poëtae praebuisse. Utrum Hermippi fabula huic anno an sequenti potius sit adscribenda, utpote incertum, affirmare non ausim.

In Pherecratis *Ἀγρίοις* non opus est ad coniecturam confugere, ut tempus, quo acta sit fabula, accuratius definiatur. Locuples testis est Athenaeus, si conferas cum Platonis Protagora, uti iam fecit Clintonus, fabulam Lenaeis attribuens. De duplici huius comoediae editione cogitavit aliquando Schleiermacherus Vers. Plat. I. 1. p. 219., non probante Boeckhio de Tragg. p. 22. Neque evitatur ea ratione difficultas quam movit Athenaeus propter Protagorae mentionem. Vid. Stallb. ad Protag. Praef. p. 17. ac nos ad a. 422. Haud magis Heinrichius V. C. opinionem suam viris doctis probavit, eamdem hanc esse comoediam, quae *Χείρων* inscribitur; propterea quod fragmenta ex utraque obvia, de musica sermonem factum indicent. Quem a Meinekio in Comm. Misc. I. refutatum esse e Stallb. l. l. cognovi, neque enim vocem *μισανθρώπους* mutandam esse in *μιξανθρώπους*, quippe qua, Themistii etiam auctoritate munita, non semiferi illi Centauri, sed solitarii homines ab aliorum societate remoti, ideoque morosi et ad aliorum adspectum trepidantes significentur. In iis quae a viro doct. addita sunt, particula *non* desideratur. Animadverti possit, Timothei quoque mentionem (cf. Clint. ad a. 398. 387. 357.) et ipsum Chironis nomen mythologicum, alteram fabulam ab his temporibus removere. Dedit fragmenta Runk. p. 8.

Eupolidis *Αὐτόλυκον* Aristionis anno tribuendam esse, testis est Athenaeus V. p. 26., loco a Clint. laudato, quem tamen iterum describamus, quippe minus recte explicatum a Runkelio p. 94. *Ἐπὶ τούτου (Ἀριστίωνος ἄρχοντος) Εὔπολις, τὸν Αὐτόλυκον διδάξας διὰ Δημοστράτου, χλευάζει τὴν νίκην τοῦ Αὐτολύκου.* Non moror nunc quidem, quod vocem *διά* accepit de *histrione*, propter varias de hac re doctorum opiniones, quamquam vocem *διδάξας*, non nisi de eo cuius nomine acta fuerit fabula, accipiendam esse supra ad Vesparum didascaliam ostendi. Nec Scholiastam ad Vespas vs. 1025. defenderim, cuius tamen verba, minime movenda loco quo in Codd. leguntur, nec magis ipsa mutanda, quodammodo certe explicari possunt. Sed, quod caput rei est, immerito affirmat Autolyci victoriam (1) Athenaeo adversari, quae huius anni Scirophorione mense reportata, eiusdem vere irrideri non potuerit. Quae quum, praeeunte Meinekio Q. S. I. p. 42. dicebat vir doct., Boeckhii auctoritate decipi se passus est, non cogitans illum errorem iam dudum a cel. viro emendatum esse in libro de Oec. Civ. II. p. 165. sq. Conf. ad a. 428. p. 21. Itaque Panathenaea quum tertio quovis Olympiadum

(1) Hanc autem quinquertio (*πεντάθλῳ*) reportasse vitiose dixit V. D. Fuit enim Autolycus *παγκρατιαστής*. Cf. Xenoph. Symp. I. § 2. quem dialogum hac occasione habitum fingi a Xenophonte, in vulgus notum est. Plinii locum, quem in animo habuisse videtur V. D., legitur lib. XXXIV. c. 8. Cf. C. G. Cobet, vir amic. in Prosopogr. Xenoph. p. 54. sq.

anno, mense Hecatombaeone, celebrarentur, poeta Autolyci victoriam integro anno cum dimidio praeterlapso opportune irrisit. Qua propter improbanda est Meinekii coniectura, fabulam ob Autolyci victoriam correctam fuisse; si quidem omnis facetiarum vis prorsus periisset, tanto temporis spatio victoriam inter et posteriorem editionem interiecto. Hanc autem ante Olymp. XCII. 1. agi non potuisse affirmat ob Aristarchi (1) mentionem. Quaerere tamen quis possit, quid prohibeat, quo minus Aristarchus iam antea Strategi munere functum esse statuamus.

A. C. n. 419. Ol. XC.

1. ASTYPHILUS.
2. ARCHIAS (2).

Lacedaemoniorum colonos anno 426. Heracleam missos, sed saepius a vicinis populis petitos, sub huius anni finem (ante 27. Mart.) ita devicerunt Aenianes, quique horum socii erant, ut Boeoti metuentes, ne oppidum ab Atheniensibus occuparetur, expulso Lacedaemoniorum duce, ipsi in fidem illud reciperent. Thuc. V. 51. sq. Diod. XII. 77. id tantum memorans, colonos a Boeotis praesidium arcessivisse. Thucydides autem subiungit, Lacedaemonios occupationem aegre tulisse: putaverim, eos brevi a Boeotis restitutionem impetrasse, atque ita Diodorum tantum cogitasse de auxiliante praesidio. Conf. Poppo Prolegg. I. 2. p. 303.

(1) Idemne sit Aristarchus, cuius in Áristophanis Triphalete frgm. 10. fit mentio, equidem non affirmaverim. Xenophonteus Aristarchus (Memm. II. 7.), plane diversus fuisse videtur.

(2) Vid. ad a. 424. p. 41. Ex ipsius autem Clintoni sententia, ad a. 346. prolata, Harpocrationis locus, v. διαψήφισις, ad istius anni Archontem pertinet. Pervulgatus autem est error, quo Philochori verba apud Harpocr. l. l. obvia, ad huius anni Eponymum referuntur. Nec facile causam inveneris, ex qua iste tam late patens error sit explicandus, nisi fortasse cogitandum sit de Scaligeri Ὀλυμπ. ἀναγρ. Nostris enim temporibus satis notum est, illam collectionem a summo viro maxima festinatione ac temeritate esse confectam, ut vitiis mirum quantum abundet. Eadem vero doctissimis superioris aevi viris tantam fraudem fecit, ut pro vetere monumento certatim laudarent, et Meursius ne dubitaverit quidem veterum scriptorum locos corrumpere, quo scilicet eos cum Scaligeri peccatis conciliaret. (Cf. Clint. Prooem. p. 25.) Hic igitur, Lectt. Attic. III. 10., fallacem ducem secutus, posteriores de Attica Antiquitate scriptores nactus est comites. Melioris sententiae fuerunt auctores, tum Clintonus, l. l., tum Boeckhius, libro mihi non cognito, nisi e citatione C. F. Hermanni Ant. Gr. § 123. 14.

Locus Isocratis de Bigis c. 6. p. 349., *ἐπ᾽ ἐκείνου τοῦ χρόνου* (*εἰκός ἐστι*) *σκοπεῖν οἷος ἦν* (*Ἀλκιβιάδης*) *πρὶν φυγεῖν περὶ τὸ πλῆθος, καὶ ὅτι διακοσίους ὁπλίτας ἔχων τὰς μέγιστας μὲν πόλεις τῶν ἐν Πελοποννήσῳ Λακεδαιμονίων μὲν ἀπέστησεν, ὑμῶν δὲ συμμάχους ἐποίησε, καὶ εἰς οἵους κινδύνους κατέστησεν*, ab Arnoldi insimulatione ad Thuc. V. 52. vindicandus videtur. Quis enim neget, Argivos eorumque socios, Alcibiadis potissimum opera nuper Atheniensibus conciliatos, per huius in Peloponnesum expeditionem in fide demum confirmatos fuisse, aliosque etiam populos ad societatem accessisse? Conff. modo quae dixit Thuc. V. 57. VI. 17. Plut. Alc. c. 15. Ne Achaei quidem, primum neutri parti addicti (Thuc. II. 9.) Alcibiadi suam regionem peragranti, ibique exstruenti munitiones, fuerunt impedimento. Cf. Poppo Prolegg. I. 2. p. 172. sq. qui alios quoque Thucydidis locos collegit, ex quibus coniecturam facere licet, Lacedaemonios Achaeis iratos, quod Atheniensibus favissent, domesticis eorum rebus se immiscuisse, deinde ibi instituisse paucorum dominationem, quo facto invitos coegerint, ut secum militarent. Id tamen ipsum in causa fuisse videtur, ut nihil memorabile ab Achaeis gestum fuerit. Cf. quem opportune hic contulit Bloomf. Paus. VII. 6. § 3. Sed in viam, abs qua paululum deflexisse mihi videor, redeamus. Alcibiades igitur, ineunte vere (post 27. Mart.) *μετ᾽ ὀλίγων Ἀθηναίων ὁπλιτῶν καὶ τοξοτῶν* Athenis profectus, postquam nonnullos e Peloponnesiis socios sibi adiunxit, *τά τε ἄλλα ξυγκαθίστη περὶ τὴν ξυμμαχίαν διαπορευόμενος Πελοπόννησον τῇ στρατιᾷ, καὶ Πατρέας τε τείχη καθεῖναι ἔπεισεν εἰς θάλασσαν, καὶ αὐτὸς ἕτερον διενοεῖτο τειχίσαι ἐπὶ τῷ Ῥίῳ τῷ Ἀχαϊκῷ. Κορίνθιοι δὲ καὶ Σικυώνιοι, καὶ οἷς ἦν βλάβη τειχισθέν, βοηθήσαντες διεκώλυσαν.* Metuebant enim, ne Athenienses, qui Antirrhium in potestate habebant (Poppo I. 2. 165. sq.), Crisaei sinus aditum prorsus intercluderent. Praeter Thuc. et Plut. ll. cc. cf. etiam Diod. XII. 78.

Alcibiade in Peloponneso commorante Argivorum animi ad maiora molienda vehementer incitati sunt. Qui cupientes Epidaurum in suam potestatem redigere, ut ipsi a tergo tuti forent, si quando in Corinthiorum agrum irruptionem facere vellent, tum vero etiam ut breviori via Athenis sibi auxilia ferri possent; libentes occasione usi sunt, quam sibi eo oblatam videbant, quod Epidaurii Pythaeensi Apollini, cuius templo curando praeerant Argivi, hostias non adduxissent. Fines transgressuris obsistere videbantur Lacedaemonii *πανδημεί* adiunctis sociis ad Leuctra usque (cf. Poppo Prolegg. I. 2. p. 190., quique ab eo ad Thucydidis locum, proxime laudandum, citantur) progressi; quum vero brevi post recessissent, quia pro transitu factis sacrificiis litare non potuissent, Argivi Epidauriam depopulati sunt, idque eo facilius, quod ceteri Peloponnesii Carneorum religione prohiberi se patiebantur, quo minus militiam agerent. Thuc. V. 53. sq. Diod. XII. 78. sed minus accurate, ut ostenderunt Wess. ac Poppo. Irruperunt Argivi exeunte mense Laconico, qui Hecatombaeus vocatus Atticorum Hecatombaeoni fere convenit, Carneum-

que proxime praecedit. Cf. Corsin. Diss. XIV. 20. laudatus ab Idelero l. l. I. p. 364. quem tamen vide p. 362., ubi docetur Embolismi periodos apud diversos Graeciae populos non easdem fuisse. Qua propter cavendum, ne curiosius in Iulianei anni diem inquiramus, quod Dodwello, aliisque viris doctis aliquoties accidisse, tum alibi, tum et hic monuit Goellerus in Ind. A.

Interim Mantineam convenerant legati e diversis Peloponnesi civitatibus. Ibi, postulantibus Corinthiis, Argivi Epidauriique exercitum dimittere iubentur: at, quum ne tunc quidem de pace convenire potuissent, Epidauriam iterum depopulari coeperunt Argivi. Itaque et Lacedaemonii domo in bellum profecti sunt, at eadem, quae antea, iis fuit revertendi causa. Etiam Athenienses, quorum auxilio Argivis amplius opus non erat, circa aestatis finem (ante 20. Oct.) domum redierunt. Thuc. V. 55.

Lacedaemonii vero, quum hiems incepisset, Epidauriis trecentorum militum praesidium mari miserunt. Quod ut resciverunt Argivi, legati ab iis missi sunt Athenas, questum, quod contra foederis conditiones hostes armatos mari pervehi sivissent (cf. Thuc. V. 47. § 5.). Ita, Alcibiade instigante, Laconico cippo subscriptum est, eos foedus violasse; quae media fuit quaedam actio, qua ostenderent Athenienses, foedus cum Lacedaemoniis factum, licet illi praetergressi essent conditiones, nondum tamen prorsus solutum esse. (Vid. Arnold. ad Thuc. V. 56.). Messenii autem qui anno 421. Pylo abducti fuerant, eo ab Atheniensibus remissi sunt, ut Laconiam infestarent. Thuc. l. l. Plut. Nic. c. 10. p. 530.

Nulla nobis superest Didascalia dramatum, quae hoc anno Athenis acta fuerint. Coniecit Boeckhius, de Tragg. p. 188., Supplices, Euripidis Tragoediam, ad tempora, quae Ol. LXXXIX. a. 4. proxime secuta fuerint, referendam esse. Qua de re suam opinionem ita proposuit, ut huic quaestioni adiungeret comparationem cum eiusdem Tragici Andromache et Heraclidis, quarum priorem secundo Olympiadis XC., alteram tertio anno doctam suspicatur. Itaque ad illum annum enarrandum ubi pervenerimus, nostram qualemcumque de his rebus sententiam proferemus.

A. C. n. 418. Ol. XC.

2. ARCHIAS.
3. ANTIPHON (1).

Continuae fuerunt hac hieme velitationes Argivos inter et Epidaurios, nulla maiori pugna commissa. Horum tamen urbem, defensoribus non satis instructam, sub veris initium (ante 15. April.) Argivi, cum scalis eo profecti, occupare voluerunt, verum et iste conatus frustra fuit. Thuc. V. 56.

Τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους μεσοῦντος, quam temporis notam Thucydidi rarius usurpatam (cf. VI. 30. ad a. 415.) Dodwellus subtiliter coniecit ad Scirophorionem, medium fere mensem Iunium, esse referendam; Lacedaemonii, ut et Epidauriis graviter vexatis succurrerent, et res in Peloponneso restituerent, cum magnis sociorum copiis ad Phliuntem collectis, ipsi Argos oppugnatum profecti sunt. Quibus quum Argivi obviam irent, ab Agide, qui tripartito agmine Argivorum regionem invadebat (vid. Poppo Prolegg. I. 2. p. 212.) decepti et urbis aditu interclusi sunt. In tanto periculo quum versarentur Argivi, qui insuper equitatu Atheniensiumque auxiliis carebant, vehementer tamen gaudebant, quum Lacedaemonios in suo agro et prope urbem interceptos putarent. Utroque igitur exercitu proelium expetente, duces nulla publica auctoritate muniti, sed soli inter se agentes, illud prohibuerunt, maxima cum suorum offensione (2), atque Agis, concessis quatuor mensium induciis, exercitum abduxit, quo ad eam usque diem nullus pulchrior convenerat. Thuc. V. 57-60. (coll. 63. 74. Plut. Alc. 15.) Diod. XII. 78.

Mox Argos adveniunt Athenienses ducibus Lachete et Nicostrato: quos quum Argivi, inducias solvere detrectantes, abire iussissent, instigante tamen Alcibiade legato (conff. Interpp. ad Thuc. l. l.), quem Diodorus *ἰδιώτην* vocat, decretum est, inducias insciis sociis factas esse irritas, bellumque esse instaurandum. Statim igitur adversus Orchomenum profecti, ubi Arcadum obsides a Lacedaemoniis depositi erant, urbem in deditionem acceperunt, incolis sibi sociis adiunctis. Orta dein dissensione, Elei, qui impetrare non potuerant, ut adversus Lepreatas iret sociorum exercitus, domum se receperunt, reliqui ad Tegeam oppugnandam profecti sunt.

Quod quum audivissent Lacedaemonii, qui praetermissam Argos expugnandi occasionem aegre ferebant, Orchomeni vero deditione ita commoti fuerant, ut de Agidis domo

(1) Cf. Ruhnk. de Antiph. p. 26.

(2) Vid. Wachsm. II. 1. p. 438.

evertenda ipsoque magna pecunia multando deliberarent, mox venia regi data, ipsi tamen decem Spartanos adderent consiliarios (cff. ll. ll. a Poppone ad c. 63. et in Prolegg. I. 2. p. 106., quos qui attenderit, intelliget male a nonnullis huc trahi Xenoph. Hell. II. 4. 30. et de Rep. Lac. 13. 5.) quibus improbantibus exercitum educere ei non liceret; universi cum Helotis sociisque ex Arcadia arcessitis fines egressi sunt, sexta exercitus parte cum Plistoanacte rege ad res domesticas tutandas relicta. Mittunt etiam nuncios Corinthum et ad ceteros socios, ut sibi ad Mantineam praesto sint: qui tamen in tempore adesse non potuerunt.

Ita pugna ad Mantineam a Lacedaemoniis conseritur cum Argivis, quibus auxiliabantur tum ceteri socii tum Atheniensium equites, qui nisi adfuissent, Argivi ad internecionem fuissent occisi. Maxima enim clade accepta ruptoque agmine, alterum cornu terga dedit, alterum a persequendis hostibus rediens in victorem incidit, a quo circumventi Mantineorum plerique ceciderunt. Debuit Agis victoriam Pharacis prudentiae, qui regem impetuosius hostes opportuno loco considentes aggredi cupientem, monuit ne malum malo mederi conaretur, sed astu hostes in planitiem pelliceret. Quo pertinent loci a Poppone ad c. 65. § 2. laudati, quibus addas Plut. an Seni sit ger. Resp. c. 27. p. 797. Vide et Apophthegg. Regg. Agid. n. 2. p. 190. C. Lacon. Apophth. Agid. n. 4. 8. 12. p. 215. Ipsam pugnae narrationem vide ap. Thuc. V. 61–75. Diod. XII. 79. Plut. Alc. c. 15. p. 198.; de munere quo victoriae nuncium ornarunt, eumdem in Agesil. c. 33. p. 614. de glor. Ath. c. 3. p. 347. Athenienses utrumque praetorem amiserunt. Cf. Androtion ap. Schol. ad Avv. vs. 13. ubi vitiosa lectio, quam Clintonus emendavit, Lenzium Siebelisiumque in errorem duxit, immerito criminantes Sigonium de Ath. tempp. ad huius Ol. a. 2. Secutus autem est Sigonius Diodorum; sed Carnea brevi post pugnam ad Mantineam celebrata videntur (Thuc. V. 75.), qua propter Dodwello assentior, eam ad annum 3 ineuntem referenti.

Carneorum feriis, quas Lacedaemonii inprimis religiose observare solebant, Argivi sociorum copiis adiuti usi sunt, ut ab Epidauriis, qui pridie proelii ad Mantineam commissi in Argolidem fecerant irruptionem, ultionem peterent. Urbs vallo cingi coepit, deinde praesidio ab Atheniensibus relicto ad templum Iunonis prope urbem munitum, in suam quisque civitatem redierunt. Thuc. V. 75.

Brevi autem apparuit, quantum terroris hostibus iniecissent Lacedaemonii, qui hiemis initio Tegeam progressi, Licham Argos praemiserunt duas conditiones ferentem, alteram belli, pacis alteram. Tunc enim impedire non potuit Alcibiades, quo minus optimates pacem foedusque quinquaginta annorum cum Lacedaemoniis persuaderent populo, qui societatem cum Atheniensibus, Mantineis Eleisque factam deseruit. Perdiccam quoque Argis oriundum ad defectionem ab Atheniensibus sollicitarunt, hique Epidauriam relinquere iussi sunt. Metuentes igitur ne sui milites pauci

numero a ceteris praesidiariis opprimerentur, Athenienses miserunt Demosthenem qui copias reduceret: at is callide Argivos castello elicuit, deinde portas clausit, nec munitum locum reddidit, nisi postea, foedere cum Argivis instaurato. Thuc. V. 76-80. Diod. XII. 80. In defininiendo tempore, dum certiora quaero, Dodwelli secutus sum sententiam haud veri absimilem, sed natam tamen e coniectura.

A. C. n. 417. Ol. XC.

3. ANTIPHON.
4. EUPHEMUS.

Mantinei ab Argivis deserti, quamvis primum Lacedaemoniis resisterent, iis tamen impares tandem compositionem facere coacti sunt, civitatum quas sibi subiecerant imperio remisso. Factum est foedus in triginta annos, quod et paullo diutius viguit. (Xenoph. Hell. V. 2. § 2.). Videbantur igitur Lacedaemonii auctoritatem inter Peloponnesios, quae sibi paullatim de manibus exciderat, prorsus recuperasse. Quae magis etiam confirmata est, quum huius anni hieme *πρὸς ἔαρ ἤδη* et Sicyone et Argis, popularis factionis fautoribus interfectis, paucorum dominatio instituta fuit. Thuc. V. 81. Aristot. Polit. V. 4. p. 390. B. Diod. XII. 80. Plut. Alc. c. 15. haec leviter adumbrans, utpote ad Alcibiadis vitam pertinentia quidem, nec tamen arcte cum ea coniuncta. Adscripsit haec Dodwellus Gamelioni mensi, sed immerito; qui quum temporis notam e sequentibus petiverit, de his primum agamus.

Optimatium enim, atque inprimis Bryantis (Paus. II. 20.) insolentia adeo exasperavit multitudinem, ut, horum libidinem non amplius tolerantes, Gymnopaediarum occasione eos adorirentur. Lacedaemonii, pro more suo festo die se prohiberi sinebant, postea *ἀναβαλόμενοι τὰς γυμνοπαιδίας* auxilio profecti sunt; verum id sero, nam in via audiunt popularem factionem superasse, adversarios vero partim interfectos, partim urbe expulsos esse; quo audito domum redeunt. Spartam legati ab Argivis missi sunt, qui coram ceteris sociis factum defenderent, sed post multa verba ibi ultro citroque facta, decretum est Argivos iniuste fecisse, bellumque contra eos esse suscipiendum. Perterriti igitur Argivi ad Athenienses denuo se applicuerunt; quoque facilius ab Atheniensibus

10*

adiuvari possent, suadente Alcibiade muros quadraginta stadiorum (Paus. II. 36. § 6.) ad mare deduxerunt, in quibus exstruendis et fabri lapicidaeque Athenis advecti, et omnes Argivi, ne mulieribus quidem exceptis, occupati fuerunt. Thuc. V. 82. Diod. et Plut. ll. ll. ubi animadvertenda verba: *καὶ τὰ μακρὰ τείχη συνέπεισε* (Alcibiades) *καθεῖναι, καὶ προσμίξαντας τῇ θαλάσσῃ τὴν πόλιν ἐξάψαι παντάπασι τῆς Ἀθηναίων δυνάμεως.* Conf. Baehrius.

Καὶ τὸ θέρος ἐτελεύτα. His verbis nituntur Dodwelli rationes, quas paullo accuratius exploremus; sed ipsa, quibus usus est, adscribamus verba (ad a. XIV. extr.): »Mensibus VIII. tenuisse optimates Argis testatur Diodorus. Octavus a Gamelione mensis est anni sequentis Boëdromion, *quo restituta fuerit Argis Democratia*, quam sequenti aestate restitutam testis est Thucydides." Deinde ad a. XV.: »Immo hac aestate exeunte restitutam Argis Democratiam iam superiori anno probavimus." Non probavit vir cel., sed, ut ex ipsius verbis apparet, disputationem vertit in orbem. At primum, *non* restituta est Democratia exeunte aestate, quod si verum esset, Argivorum popularis factio non Gymnopaediarum sed Carneorum occasione usa fuisset. Illae autem *γυμνοπαιδίαι* non Boëdromioni, verum Hecatombaeoni assignandae sunt. Conff. loci citati a Goellero in indice Chron. ad c. 82. ceterique interpp. apud Popponem. Unum Plutarchum huc afferam in Agesil. c. 29. p. 612. sic scribentem: *γυμνοπαιδιαι ἦσαν..... παρῆσαν δ' ἀπὸ Λεύκτρων οἱ τὴν συμφορὰν ἀπαγγέλλοντες*, collato eodem Plut. l. l. c. 28.: *τῇ δὲ πέμπτῃ τοῦ Ἑκατομβαιῶνος ἡττήθησαν ἐν Λεύκτροις*, et in Camillo: c. 19. p. 138. *Ἑκατομβαιῶνος ἱσταμένου πέμπτῃ κ. τ. λ.* Deinde, etiamsi Boëdromione optimatibus imperium ademtum fuisset, abuti Diodori testimonio non licebat, ut retro computando Gamelione instituta Oligarchia diceretur. Nam pugnant haec contra Thucydidem, qui habet: *καὶ πρὸς ἔαρ ταῦτα ἦν, καὶ χειμῶνος λήγοντος*, quae verba et plerumque et hic Elaphebolionem indicant, Anthesterionem si Embolimaeus mensis praecessit. Alio modo de Diodori loco statuendum, qui aut in numeris corruptus est, aut, quod magis equidem crediderim, ipse negligentius locutus est. Fortasse octo mensium spatium intercessit abs quo optimates post pugnam ad Mantineam gestam novas res moliri coeperunt, ut aliquanto post fausto successu imperium affectare potuerint. Cui suspicioni favere videntur Diodori verba: *τὴν μὲν δημοκρατίαν ἔγνωσαν καταλύειν, ἀριστοκρατίαν ἐξ αὐτῶν καθιστάναι.*

Argivorum muri haud prius absoluti quam deleti fuerunt a Lacedaemoniis, qui cum sociis praeter Corinthios, duce Agide, irruptionem fecerunt ineunte hieme (post 27. Sept.), mox, diruta munitione, captisque Hysiis, ubi omnes incolae interfecti sunt, in suas quisque civitates se receperunt. Quibus domum reversis Argivi adversus Phliasiam profecti sunt, quia exsules (optimates nuper eiecti, ut puto) ibi recepti fuerant. Thuc. V. 83. Diod. XII. 81.

Diodorus l. l. mentionem facit proelii Phocenses inter et Locros commissi, e quo illi victores abierint mille Locris interfectis. Sed Wesselingius ad h. l. annotavit: »Auctor hoc bellum Phocenses inter et Locros, unde depromserit, non recordor.”

De ordine, quo tres Euripidis tragoedias, Supplices, Andromachen et Heraclidas se excepisse suspicatur Boeckhius, de Tragg. p. 188. sqq., quia ad hunc annum ventum est, quo Heraclidas in scena exhibitos statuit, iam paucis videamus. Est autem Argivorum mentio, in istis dramatis passim obvia, quae cel. virum in opinionem duxisse videtur, qua Supplices statim actas putaret, postquam, foedere a Thebanis ac Lacedaemoniis privatim inito, ad Athenienses se applicuerunt Argivi; in quorum igitur laudes evagetur poeta. Andromachen vero adscribendam censet anno 418., quo respici potuerit ad Lacedaemoniorum expeditionem contra Argivos susceptam: in cuius rei testimonium ubi vocatur Thuc. V. 58. et VI. 7., prior locus, sublato typographico errore, quaerendus est capite 53., alter quid huc faciat, non video. Nec frustra quaeri posse putat vir cel., quae causa sit, quod in hac tragoedia tam vehemens fuerit Euripides in exagitandis Lacedaemoniis, quippe quos brevi ante perfidiae publice accusaverint Athenienses, idque fortasse vel ipsis feriis, quibus fabula ageretur. Quae tamen ultima suspicio et illud habet dubitationis, quod verba Thucydidis c. 56., ubi, post memoratam solemnem Atheniensium declarationem, ad Argivorum transit cum Epidauriis velitationes, quae *τὸν χειμῶνα* consumserint; quod igitur ea exeunti priori anno magis conveniunt. Denique Heraclidas, propter Argivorum reprehensionem, inque eos iacta convicia, posteriorem habet pace ab his cum Lacedaemoniis facta, sed prius actam, quam proximo anno (416.) populare imperium Argis restitutum fuerit. Quo autem magis suam de harum fabularum temporibus sententiam confirmaret, hoc etiam animadvertit: omnes idem sentiendi ac scribendi genus eumdemque poeseos colorem referre. Sed, ut in tota hac quaestione, ita et hic maxime observandam mihi putavi Pflugkii admonitionem in Praef. ad Heracl. p. 12; »non singula verba et quasdam callide quasi ex ore loquentium exceptas spectari oportere sententias, sed universas fabulas perpendendas esse.” Quod enim de Heraclidis Supplicibusque lubens concedo, ad res publicas utramque fabulam pertinere; de Andromache haud iniuria negare mihi videor, cuius argumentum in privata Peleïadeae domus calamitate ac discordiis versatur, neque ad Atheniensium civitatem quidquam pertinet. Sed si singulas sententias spectamus, Argivorum laudibus (equidem potius commiserationem dixerim), ob quas Boeckhius Supplices ordine primas posuit, opponi poterit vs. 127., contemtu plenus:

Τὸ δ' Ἄργος ὑμῖν ποῦ 'στιν; ἢ κομποῖ μάτην;

vide et vs. 513. Reliqui autem, quos versus attulit Boeckhius, haudquaquam hunc annum prae ceteris indicant; quod et valet de Alcibiade, in quem iuvenem publicis rebus occupatum, acerbe dicta passim occurrant. Is vero, et pridem hoc nomine exagitabatur, et anno 415. a Nicia propter aetatem contemtus est. Accedit, quod si Alcibiadem in Supplicibus subindicatum putemus, Theseus illius personam sustinere debuerit, qui, ut Alcibiades Argivis, Adrasto succurrit. Eumdem Theseum ita alloquitur Adrastus, vs. 190. sq.

καὶ νεανίαν
Ἔχει σε ποιμέν᾽ ἐσθλόν· οὗ χρείᾳ πόλεις
Πολλαὶ διώλοντ᾽ ἐνδεεῖς στρατηλάτου.

ipsum vero inducit poeta querentem de iuvenili nonnullorum temeritate atque insolentia (vs. 232.); indolemque ei tribuit ab Alcibiadis ingenio prorsus alienam. Ita et ea, quae de iuventute dicta in Andromache inveniuntur, parum probant; nec defuerunt toto B. P. occasiones, quibus opportune fraudes, perfidia et crudelitas Lacedaemoniis exprobrarentur. Argivos autem et hoc tempore et postea bello infestarunt Lacedaemonii. Cf. Thuc. V. 83. (vid. ad a. 417.) VI. 7. (ad a. 416.). In Heraclidis denique Pflugkius aliquot versus deprehendere sibi visus est, qui hanc tragoediam ad priora B. P. tempora removeant; et possint quidem haec exempla pluribus augeri; e. g. versum 163. propter vastatorum agrorum mentionem apte conferas cum vs. 1034. sqq. Eaque coniectura magis etiam confirmetur admissa suspicione, quam tamen nisi summa cum verecundia proponere non audeo. Neque enim facile quis negaverit antiquis tragoediarum poetis iniuriam fieri, si argumenta ex heroicis temporibus eo consilio ab iis petita putemus, quo per allegoriam suas de praesentibus rebus opiniones proferrent; at tamen non minus verum est, publicarum rerum conditionem, ipsaque tempora, quibus scriberent, multum apud eos valuisse in argumentis quum inveniendis, tum disponendis (1). Quod, ut de Euripide praecipue valet, ita et hoc loco observandum duxerim, cui, universae fabulae argumentum, si paucis verbis comprehendendum sit, haud incongrua videntur verba Coprei nuncii ad Demophontem regem (vs. 177. sqq.):

μηδ᾽, ὅπερ φιλεῖτε δρᾶν
Πάθῃς σὺ τοῦτο, τοὺς ἀμείνονας παρὸν
Φίλους ἑλέσθαι, τοὺς κακίονας λάβῃς.

Praeco invidiose *κακίονας* vocat, quos spectatores habebant *ἀθλίους*, ab hoste praeter ius et fas oppressos, quibus omni modo succurrendum esset. Cuiusmodi dramatis ar-

(1) Non dubito, quin haec multo melius probata sint a SUEVERNIO, v. c. Comm. de publicarum rerum in Tragoediis Veterum significationibus. Berol. 1824.; at vero ea, quod vehementer doleo, ad manus mihi non est.

gumentum, quo tandem tempore opportunius elegerit poeta, quam quum Plataeenses, a Lacedaemoniis Thebanisque misere habiti, primum uxores liberosque Athenas submiserunt, mox post deletam patriam ipsi in civitatem recepti sunt? Quod si statuimus, et commode explicari poterunt versus quos Pflugkius citavit, et intelligemus, qui poëta scribere potuerit (vs. 965. sq.):

ΛΑΚ. ..... ἐχθροὺς τοιςίδ' οὐ καλὸν κτανεῖν;
ΑΓΓ. Οὐχ ὅντιν' ἄν γε ζῶνθ' ἕλωσιν ἐν μάχῃ.

Athenienses enim Plataeensibus suaserant, ne captos Thebanos morte afficerent (Thuc. II. 6.), nec dum ipsi Scionaeo scelere se polluerant. Decretum vero in Mytilenaeos, etsi crudelissimum, alius tamen generis est, ac vel in nostram rem transferri posset, nisi cupiditatis opinionem vitare mallemus. Itaque et silentio praetermittimus argumentum, quod ex Schol. ad Arist. Eqq. vs. 214. attulit quidem Pflugkius, neque tamen allato eo uti ausus est, propterea quod versus, quem parodia riserit Comicus, nullum in hac tragoedia vestigium invenitur; et verbulo tantum indico similitudinem, quae extremae huic fabulae (vs. 1028. sqq.) cum Oedipi Colonei fine (1524. sqq.) intercedit, ubi uterque heros in Atticae finibus sepeliri se iubet, quo ab hostium invasionibus cives defendantur. Vid. ad a. 430. p. 12.

Eodem modo, quo Heraclidas Olympiade LXXXVIII. 2. nec priores nec multo posteriores suspicati sumus, etiam Supplices Olymp. XC. 4. adscribantur. Hic Adrastus, omnisque Argivorum populus, sua culpa ad summam miseriam redactus (vs. 11. et passim), misericordiam auxiliaque implorant ab Atheniensibus (vs. 114. 128. ubi animadvertas verba *σφαλέντες οἰχόμεσθα*); qui, postquam ostenderunt, quantum sibi displiceat Argivorum temeritas (vide totam Thesei accusationem, Adrastique excusationem, in primis vs. 254. sqq.), rem restituunt, postremo malo liberatis iniungunt, ut pro tanto beneficio constanter gratum sibi animum praestent (vs. 1169. sqq.). Quae si cum illorum temporum historia comparamus, haud difficulter agnoscere nobis videmur Atheniensium in Argivos animum, qui primum aegre ferentes, quod foedere ab Argivorum oligarchicis cum Lacedaemoniis inito, ipsi Lacedaemone cedere debuerant (Thuc. V. 76. 80.), mox restituta Argis Democratia omni studio id egerunt, ut et Argivos et eorum urbem perpetuo sibi redderent obnoxios. Vid. ad h. a. p. 76.

Haec autem sufficiant de ordine trium harum fabularum, quem ubi ita constituendum putavi, ut Heraclidis primus locus tribueretur (1), consentientem habui Dindorfium, qui in Teubneriana editione eam reliquis praeposuit. Hic autem Andromachen ad poste-

---

(1) Quoniam Pflugkius iam memoraverat Hermanni de hac tragoedia sententiam, equidem repetere nolui, quam accurate et hic conveniant argumenta ex numerorum ratione petita cum historicis. Cf. in primis Opuscc. III. p. 148. sq. I. p. 136. sq.

riora B. P. tempora amandare videtur, de quo etsi nondum satis mihi liquet, tamen admodum non repugno.

Meinekius Q. S. II. p. 34., cui assentiuntur Clintonus et Runkelius, ad Pherecratis frgmm. p. 14., huius poetae comoediam *Αὐτομόλους* ad sequentem annum refert, quod fragmentum, a Runkelio primo loco positum, explicandum sit de foedere ab Argivorum optimatibus cum Lacedaemoniis facto. Quae explicatio si vera sit, huic anno fabula melius tribuatur, quae Dionysiorum festo ad ea spectatorum animos adverterit, quae paullo ante facta erant. Proximo enim anno non amplius *ἐπημφοτέριζον* Argivi, in quorum civitate Democratia eo tempore restituta erat. Sed voce *ἐπαμφοτερίζειν* iam maturius de Argivis uti potuit poeta, qui, quum neutris partibus adhaererent, utrisque aeque essent *ἐμποδών*.

A. C. n. 416. Ol. XC.$_{1}$

4. EUPHEMUS.
1. ARIMNESTUS (1).

Hiemis tempore Perdiccam mari intercluserunt Athenienses irati, quod nuper Argivorum Lacedaemoniorumque partes amplexus erat; nec minus, quod, Nicia adversus Thraciam expeditionem parante, *ἔψευστο τὴν συμμαχίαν καὶ ἡ στρατία μάλιστα διελύθη ἐκείνου ἀπάραντος*. Thuc. V. 83. Quo vero tempore posterius illud acciderit, non satis liquet. Neophytus Ducas respici putat expeditionem a Nicia a. 423. (ubi vide) susceptam; quam tamen per Perdiccae proditionem successu caruisse, haud facile crediderim. Nullum enim indicium est, Macedonem iis temporibus Lacedaemoniis invisum, eoque ipso Atheniensibus nuper reconciliatum, his aliqua in re defuisse. Contra ea effecit, ut Lacedaemoniis itinere per Thessaliam interdiceretur (Thuc. IV. 132.); et Cleon anno 422. magna cum securitate Perdiccae auxilia praestolabatur. Certi quid statuere difficile nec satis tutum. Fuit quum putarem, Thucydidem in re notissima, quam antea pluribus illustraverat, breviloquentia usum, Niciae expeditionem eam vocasse,

(1) Olympicos ludos hoc anno celebratos ornavit praecipue splendida Alcibiadis victoria curulis; de qua videatur, praeter Corsinum, Baehrius ad Plut. Alc. c. 11. sq.

quae quidem illo duce emissa, Cleonis clade finita fuerit. Neque enim Nicias *cum exercitu* domum rediisse traditur; sed, quo tempore Cleon ad Thraciam appulit, Scione adhuc obsidebatur (Thuc. V. 2.). Iam vero, notum quum sit, Cleonis milites imperatorem prae impatientia coegisse, ut, etiamsi Perdiccae auxiliarii nondum adessent, contra Amphipolin se duceret, eoque ipso factum esse, ut Athenienses gravissima clade afficerentur (cf. p. 58.); non veri absimilis coniectura: in Perdiccam sero advenientem cladis culpam collatam esse, vel etiam, Regem callidissimum sed perfidum, fatalem exitum quum praevideret, cum copiis in tempore domum reversum fuisse.

At verba Thucydidis *παρασκευασαμένων αὐτῶν στρατιάν κ. τ. λ.* non adeo expeditionem revera susceptam significare videntur, sed potius paratam quidem illam, nec tamen initam. Accedit, quod illa Niciae Cleonisque expeditio longiori intervallo ab his temporibus distare videtur. Alia igitur oborta est suspicio; quam, etsi hariolationis fere piget, lectoris tamen humanitate fretus proponam. E praecedentis capitis (82.) initio discimus, Athenienses priori anno leve quid damnum accepisse, eorum qui montem Atho incolebant ad Chalcidenses defectione. Illud resarcire voluerint Athenienses, Perdiccae auxilia exspectantes, hic vero iam tum defectionem moliens, id quidem pollicitus, fidem tamen non praestiterit. Quod si verum sit, nemo mirabitur Thucydidem leviter indicasse expeditionem cogitatione tantum susceptam: poteritque aliqua causa inveniri erroris quem commiserunt Diodorus et Schol. ad Avv. vs. 186. 362.; ubi Niciam hoc anno non tantum in bellum profectum fuisse, sed et Melum expugnasse narrant.

Ineunte aestate, quam Clintonus Munychione incepisse autumat, nos propter Embolimaeum mensem, qui praecessit, ab Elaphebolione (24. Mart.) computamus, Alcibiades profectus Athenis, Argos advenit, trecentos cives, qui Lacedaemoniis favere videbantur, comprehendi iussit, inque vicinis insulis collocavit. Quibus peractis ac stabilita Democratia domum rediit. Thuc. V. 84. Diod. XII. 81.

Meli incolas Lacedaemone oriundos, iam anno 426. frustra aggressi fuerant Athenienses. Eosdem magnis ex Attica sociorumque copiis collectis iterum hoc anno adorti sunt ducibus Cleomede et Tisia: nam Diodori errorem, e nominis quoque confusione ortum fortasse, nihil moramur. Priusquam ad arma ventum est, legati praemissi sunt, quibus non permiserunt optimates ut coram populo verba facerent: ipsi cum iis colloquium habuerunt. Quum vero persuaderi sibi non sinerent, ut sponte in deditionem venirent, Athenienses urbem obsidione cinxerunt, ibique praesidium reliquerunt. Thuc. V. 84-114. Cf. Dion. Hal. Iud. de Thuc. c. 37-41. contra quem disputant interpretes.

Eodem fere tempore varia in Peloponneso facta sunt proelia, quorum tamen nullum magni admodum fuit momenti. Eo pertinet irrita Argivorum irruptio in agros Phliasiorum. Messenii quoque Pylum reduces (vid. ad a. 419.), eo loco *ὁρμητηρίῳ* utebantur,

unde profecti Laconiam infestarent. Lacedaemonii igitur, quamquam foedera soluta nondum habebant, cuivis tamen veniam dederunt praedandi in Atticae finibus. Conf. Xenoph. Hell. V. 1. 1. Boeckh. de Oec. Civ. II. p. 128. Denique commemoranda Corinthiorum cum Atheniensibus belligeratio, quiescentibus ceteris Peloponnesi civitatibus. Thuc. V. 115.

Insequenti hieme (post 16. Oct.) Lacedaemonii copias adversus Argivos eduxerunt, sed litare iis non licuit. Quum igitur infecta re abiissent, nonnulli ex Argivis Laconismi suspecti, comprehensi sunt, alii urbem reliquerunt. Thuc. V. 116.

Melii fortissime resistentes multum negotii obsidentibus facessebant, quorum munitiones noctu aggressi custodibusque interfectis, commeatum pecunia comparatum in urbem importarunt. Sed alio exercitu Philocrate duce Athenis misso, oppidani ad extremum redacti suorumque proditione oppressi succubuerunt. Omnes puberes Alcibiade auctore interfecti sunt, reliquis in servitutem venditis, urbs colonis (Plataeensibus) tradita. Thuc. V. 115. sq. Diod. XII. 80. oratio quae fertur Andocidis c. Alcib. c. 8. Plut. Alc. 16. p. 199. Strabo X. p. 484. cff. porro loci citati ab Interpp. ap. Popp. quaeque ad a. 421. a nobis dicta sunt. Denique addatur Isocr. Panath. c. 34.

Expugnata, quae tam diu restiterat, insula, elati Athenienses et novarum rerum cupidissimi, ad Siciliam sibi subiiciendam, animum iterum appulerunt. Quo multum contulit Leontinorum et Segestanorum legatio, hoc tempore Athenas missa oratum, ut sibi mitterentur auxilia contra Selinuntios et Syracusanos. Qua occasione, pridem dissensionum compositione, quam inter se fecerant Siculi, erepta sibi, nunc iterum oblata, libenter usi sunt Athenienses, qui legatos miserunt exploratum, quae essent sociorum ad bellum gerendum facultates, quaque in conditione Segestanis bellum esset cum hostibus. Thuc. VI. 1. 6. Diod. XII. 82. 83. init. Plut. in Alc. c. 17. Iustin. IV. 4. init.

Victoriam ab Agathone Tragico huius anni Lenaeis partam (Athen. V. p. 217.) nobilitavit praecipue Platonis dialogus, Symposii titulo insignitus, quique hacce occasione habitus fingitur (cf. c. 1. p. 172.). Fabula, qua vicit, utrum Mysorum nomen tulerit, etsi incertum, tamen coniicio propter locum Plutarchi Symp. III. 1. ubi Agatho dicitur *πρῶτος εἰς τραγῳδίαν ἐμβαλεῖν καὶ ὑπομῖξαι τὸ χρωματικὸν, ὅτε τοὺς Μυσοὺς ἐδίδασκεν.* Huiusmodi enim *χρώματα* salse risit Plato, dum ea videlicet in oratione personati Agathonis (Symp. p. 195-198.) imitabatur. In eamdem suspicionem nos ducat fortasse solemnis Apollinis *Ilii conditoris* invocatio, quae Agathoni tribuitur in Aristophanis Thesmophoriis (vs. 108. sqq.), post quinque annos actis, de quo non dubito, etiamsi Schol. ad vs. 32. dicat *τρισὶν πρὸ τούτων ἔτεσιν* fabulas docere incepisse Agathonem.

Confirmant disertum Athenaei testimonium Schol. ad vs. 190. et ipse Aristophanes vs. 1060.; de quibus vide ad a. 411. Ceterum de Agathone peculiarem Ritschlii exstare commentationem e Clintoniano Indice cognovi.

A. C. n. 415. Ol. XCI.

1. ARIMNESTUS.
2. CHABRIAS (1).

Lacedaemonii facta irruptione in Argolidem regionem vastant, frumentum plaustris secum ductis absportant, deinde cum Argivis pacti, ne hi exsules, Orneis collocatos, ullo malo afficerent, domum redeunt. Quum vero haud multo post Argos advenissent Athenienses, Argivi ab iis adiuti, Orneas aggrediuntur, urbem a defensoribus noctu desertam occupant, captam delent funditus. Thuc. VI. 7. Diod. XII. 81. fin. Schol. ad Avv. vs. 399. Animadvertit Dodwellus p. 95. sq., Diodorum ista priori Archonte Euphemo narrantem, ad aestatem retulisse; Thucydidem vero sibi non constare, qui quum Lacedaemonios regionem hieme vastasse tradiderit, tamen dicat eos frumentum absportasse. Sed prius argumentum non multum probat, quum Diodorus saepius uni Archonti tribuat, quae toto Iulianeo anno acciderint. Quod ad alterum, responderi potest, ipsa plaustra quae hac occasione secum duxerunt Lacedaemonii, satis probare frumentum non amplius in agris fuisse, quod corrumperent, aut in itinere consumerent; sed ex horreis illud sumtum fuisse, quo Argivi id sub hiemem comportaverant.

Eadem hieme Athenienses Methone (2) profecti Perdiccae regiones incursarunt, Lacedaemoniis frustra tentantibus ut Chalcidensibus, qui decem dierum inducias cum Atheniensibus agebant, belli societatem cum Macedone persuaderent. Thuc. VI. 7.

Athenienses igitur, quorum res, si externam conditionem spectas, satis florere videbantur, hoc anno domesticis discordiis conturbari coeperunt. Optimates enim, qui post Thucydidem Melesiae filium a Pericle prostratum Democratiae fautoribus impares quieverant, vel potius, clanculum tantum agentes, adversariis populi invidiam conflare tenta-

(1) Recte Meinekius Q. S. I. p. 34. Archontis nomen restituit apud Schol. ad Avv. vs. 997., ubi vulgo legitur ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ χωρίου.

(2) Quae urbs in Macedoniae finibus sita Atheniensibus tunc temporis socia erat (Poppo I. 2. p. 419.).

rant; tandem turbulentissimorum Demagogorum impudentiae pertaesi, horum conatibus magis aperte se opposuerunt. Populo periculum ostendunt, quod inde sibi oriturum nulla alia ratione evitari posset, nisi iis hominibus per Ostracismum removendis, qui libertati nocere velle viderentur. Itaque Alcibiades, per aliquot annos populi favore abusus (1), ideoque uti et immoderata libidine (cff. loci a Baehrio ll. ad Plut. Alc. c. 16., quibus addas Athen. IX. p. 407.) multos nactus inimicos (2), circa haec tempora, certe nondum praeterlapsa hieme, in Ostracismi periculum incidit. Conf. Plut. Alc. c. 13. Aristid. c. 7. Nic. c. 11. Hoc periculo quomodo se liberaverit, poenam conferendo in Hyperbolum, quum sit notissimum, indicare non opus est, idque in primis, quum aliud sit, de quo uberius disseratur.

Recte enim Kruegerus huc retulit orationem, quae ab Andocide habita fertur contra Alcibiadem, quippe, ut Dobreus in Adversariis annotavit, habitam *post* Melum expugnatam (cf. c. 8.), et *ante* expeditionem contra Siciliam decretam. Neque immerito id quidem fecit vir doct., dummodo umquam revera habita fuerit ista oratio. De quo, quum et Kruegerus et alii nostrae aetatis eruditi viri dubitare viderentur, accuratiorem investigationem instituere conatus sum, neque aliter potuit, quin persuaderi mihi sinerem, orationem Andocidi haud dubie esse abiudicandam. Nec parum me in hac sententia confirmant, quae his diebus ad me afferuntur, doctissimae Meieri V. C., de hac oratione Commentationes (3) tertia et quarta, quas utrum duae priores, ut ordine ita et tempore praecesserint, nescio. Qui vir doctissimus, quamquam non dubium est, quin totam hanc quaestionem optime explicare aggressus sit, tamen nostri instituti memores proferemus, quae iam antea ex ipsis fontibus a nobis animadversa erant.

Taylorus (Lectt. Lys. c. 6.) quamquam merito a Valckenario (ap. Sluiterum Lectt. And. p. 17. sqq.) et Rhunkenio (Hist. Crit. Oratt. Gr. p. 52. sqq.) notatus, quod cupidius hanc orationem Phaeaci tribuit, Taylorus tamen id vidit, alienum esse Andocidis nomen (4) a contentione, qua Alcibiades Niciam Phaeacem aliumve tunc temporis Demagogum per Ostracismum civitate expellere conatus est. Quodsi Valckenarius in fine suae disputationis multa affert, quae uni Andocidi convenire contendit, non frustra id quidem agit, sed meae simul opinioni haud parum favet. Ipse enim vir cel. quae leguntur c. 1. p. 29. vs. 8. *μεγίστοις περιπέπτωκα κινδύνοις κ. τ. λ.*, c. 4. p. 30. vs. 6. *τετράκις ἀγωνιζόμε-*

---

(1) Acutam videas de hac re Wachsmuthii disputationem, Ant. Hell. I. 2. p. 190. sq.

(2) Inter quos iam hoc tempore voluisse Antiphontem sese referri, scribendis *ταῖς κατ' Ἀλκιβιάδου λοιδορίαις*, equidem non affirmaverim. Ceterum de hac oratione praeclare monuit Bakius, V. C. in Bibl. Crit. Nov. II. p. 86.

(3) Insertae sunt Indicibus Lectt. in Univers. Litt. Frid. Hal. cum Viteb. consoc. per aest. 1837. et hiem. 1837-1838. habendarum. Reliquas desideramus magnopere.

(4) Id magis etiam patebit, si Meiero III. p. 3-7. concesseris, hoc tempore Andocidem, nondum quidquam commisisse, quo civibus suis cognosceretur. Negat enim Andocidem, qui a. 432. a Pericle Corcyraeis auxilio missus est (Thuc. I. 51.), fuisse oratorem.

νος ἀπέφυγον κ. τ. λ., c. 13. p. 33. vs. 40. κέκριμαι τετράκις κ. τ. λ., denique eodem capite p. 34. vs. 3. τοσαυτάκις ἀγωνιζόμενος κ. τ. λ., pertinere arbitratur ad Andocidem, saepius ob Hermas deiectos, ob Cereris mysteria vulgata, ob reditum in templa accusatum. At vero, si haec oratio revera ab Andocide habita fuisset, nullam in ea invenire liceret mentionem iudiciorum ob vulgata mysteria mutilatosque Hermas habitorum. Quae facinora eo demum tempore perpetrata sunt, quum Ostracismi periculum effugisset Alcibiades et expeditio in Siciliam pararetur. Quod sensit etiam quisquis hanc orationem confecerit; etenim, quis credat oratorem, qui gravissime ubique in Alcibiadem invehitur, nusquam nefandi illius criminis recordaturum fuisse, quod reliqua omnia, quae Alcibiadi exprobrabat, atrocitate longe superaret, idque praecipue, quod ipse ob eamdem causam toties in summum vitae periculum venisset? (1) Sed in eo huius rei causa quaerenda est, quod haecce oratio posteriori demum aetate composita fuerit: cuiusmodi observatio etiam ad illam orationem pertinet, quam Lysias contra Andocidem scripsisse fertur. Conf. Rhunk. l. l. p. 50. Sluit. l. l. p. 166. Dobreus in Advers. ad h. or. Nec dicas, Andocidem exercitationis causa hanc orationem postea scripsisse (2); gravissimum enim argumentum, quo probare mihi videor tempora a Sophista temere esse confusa, et hic valet. Ceterum et occupatissima Andocidis vita in continuis peregrinationibus aut vinculis acta, a scholae lucubrationibus sanequam aliena erat. Sed observanda videtur notissima posteriorum Rhetorum consuetudo, qua eiusmodi causas pulcherrimam sibi materiem praebere putantes, in qua elaboranda vires suas experirentur, opus suum celebriori cuidam Oratori tribuebant (cf. Westerm. l. l. I. p. 66. n. 1). Quod et hic accidisse putem; nam praeter illa, quae Valckenarius memoravit, exempla non desunt, quibus utaris ad probandum, tempora a Sophista ita confusa fuisse, ut satis magno temporis intervallo post declamationem scriptam habeamus, necesse sit. Conferantur v. c. quae leguntur c. 2. p. 29. οὗτος οὐδ' ἀπελθὼν ἐνθένδε παύσεται, ἀλλ' ὅπου ἂν οἰκῇ, ταύτην τὴν πόλιν διαφθερεῖ, καὶ τῇδε οὐδὲν ἧττον ἐπιβουλεύσει, κ. τ. λ.; quae si comparantur cum c. 9. p. 32. ἐγὼ δὲ νομίζω μέγιστα κακὰ τὴν πόλιν ὑπὸ τούτου πείσεσθαι, καὶ τηλικούτων πραγμάτων εἰς τὸ λοιπὸν χρόνον αἴτιον δόξειν, ὥστε μηδένα τῶν προτέρων ἀδικημάτων μεμνῆσθαι, κ. τ. λ.; haud dubie spectant, quae egit Alcibiades, postquam a civibus eiectus fuit. Item ea quae c. 5. in fine reperiuntur: δηλώσει δὲ ἡ τῶν συμμάχων ἔχθρα πρῶτον, ὅταν ἡμῖν καὶ Λακεδαιμονιοις γένηται ναυτικὸς πόλεμος, ad posteriora tempora referenda sunt. Nam quum Athenienses bellum adversus Siculos

(1) Monet Meierus, III. p. 8., personatum scriptorem scripsisse alia, quae Andocides, siquidem sibi scripsisset, non potuerit, alia non scripsisse, quae Andocides debuerit scribere; neque in omni oratione ullam rem commemorari, ne verbum quidem poni, quod in Andocidem solum conveniat.

(2) Eruditam vide de hac re Meieri disputationem III. p. 10. sqq. Quodsi ne posteriori quidem tempore ab ipso Andocide scribi potuit haec oratio, non opus est ut dedita opera sententia refutetur, qua Phaeaci scriptam eam nonnulli putant.

parabant, nullus erat, ne Nicias quidem, qui metueret ne Lacedaemonii mari sibi nocerent. Multa addi possunt, quae sive maioris sive minoris momenti quis vocet, sunt certe minime negligenda. Quo pertinet argumentum petitum e filio, quem e Melia serva Alcibiades procreavit (conf. c. 8. p. 32.). Quod quum Sauppius (1) primum omnium se reperisse putabat, mathematicum ac vel medicum dixit argumentum, quo omnis quaestio prorsus dirimeretur. Ignoravit tamen, quid Droysenus (2) hac de re senserit, qui id ipsum animadvertens, ostendit tamen Melum satis diu oppugnatam fuisse, ut Alcibiades captivam ante expugnationem emere potuerit. Quod *potuisse* fieri licet Droyseno sit concedendum, nullum tamen fore opinor, qui a praeiudicata opinione alienus oratoris verba legerit, quin eamdem intelligat captivorum venditionem, qua diruta urbe imbelles mulieresque in servitutem abierunt. Memoratur porro Hipponicus in pugna ad Delium *στρατηγός* (c. 6. cf. ad a. 424.); neque enim placet Meieri (3) coniectura *τελευτήσαντος* pro *στρατηγοῦντος* mutantis. Quum autem iuniores in iudiciis, seniores extra urbem in armis versari traduntur (c. 8.), statim nobis in mentem veniunt quae hisce contraria apparent ex Aristophane, ex illius Vespis inprimis (cf. Meier et Schoem. de lite Att. p. 137. sq.): nec multum favent oratori vs. 1114-1121. cf. Fritzschius de sort. Iudic. p. 4. Denique omne argumentum, quod in recensendis, quae Alcibiades perpetravisset, flagitiis fere totum versatur, ab Ostracismo, qui *μοχθηρίας οὐκ ἦν κόλασις*, quam maxime alienum est.

Quodsi quis hanc orationem cum Andocideis conferre velit, occasionem praebebit Aegisthi mentio c. 8. p. 32., qua non facile quid ineptius frigidiusque invenias. Ducta fortasse ex oratione *περὶ μυστηρίων* c. 21. p. 17., ubi eiusdem Aegisthi recordatur Andocides, sed opportune atque apposite. Quin autem Andocidem imitandum sibi sumserit, eumque presse fuerit secutus, haud dubitare sinit Valckenarii auctoritas, testantis: »in hac oratione elucere vim admirabilem ac prorsus Andocideam." Quae tanti viri verba cupientem nonnulla proferre, in quibus oratio contra Alcib. ab Andocideis discrepare videatur, manum de tabula tollere iubent.

De externis tamen quae vocantur argumentis pauca addamus. Et quidem Harpocrationis locum non moror, quum vox *εὐανδρία*, a Grammatico in voce (4), ex Andocidis or. c. Alc. citata, etsi in hac oratione non invenitur, ei tamen restituenda est c. 14. p. 34. ex certissima Taylori coniectura (Lectt. Lys. p. 694.). Hunc vero si exceperis, quis Grammaticorum Andocidis orationem contra Alcibiadem commemoret, equidem

(1) Viri sententiam proditam in Zimmermanni Museo, quod ab Antiquitatis studio nomen habet a. 1835. p. 328., mecum amica manus communicavit.

(2) In Comm. de Aristoph. Avv. et Hermocopidis, inserta Museo Rhen. III. 2. p. 199. sq. not. 52.

(3) Ad Schol. Demosth. or. in Midiam, p. 184. sq.

(4) Cf. Suid. eadem voce *εὐανδρία:* ubi tamen animadvertendum, non nisi priorem glossae partem, qua haec vox Dinarcho tribuitur, a Grammatico descriptam fuisse.

nescio. Neque magis enumeratur a Plutarcho in Vita X Oratorum, aut a Photio. Quodsi quis non multum horum auctoritati tribuere velit, quod posterior a priori fere pendeat; prior, si vel Plutarchus fuerit, (quod quum superiori seculo vulgo negabatur, nostra aetate post Beckeri (1) vindicationem multi viri docti affirmant), tamen indigestam nobis reliquerit molem,

»Congestaque eodem
»Non bene iunctarum discordia semina rerum,"

equidem non invitus ei accesserim. Ubi vero Demosthenes in Midiana c. 41. p. 562. R. ipseque adeo Plutarchus in Alcibiadis vita, ex oratione nobis superstite sua petivisse dicuntur, vehementer repugno. Horum enim infucatam narrationem qui comparaverit cum ampullata et portentosa Sophistae exaggeratione, deinde Plutarchum in levioribus quibusdam rebus conspirantem, de gravissimis vero dissentientem animadverterit; haud difficulter frigidum declamatoris ludum agnoscet. Omnes fortasse ex eodem fonte rivulos suos deduxerint, qui qualis fuerit, facilius conieceris quam audacter affirmaveris. Demosthenes orationi, qua iniuriam a Midia acceptam ulcisceretur, populares de Alcibiade rumores inseruit, quod totus ambitus verborum, quibus usus est, et vel errores, quos commisit, demonstrant. Hos igitur rumores, hic vel ille Historicorum aut Philosophorum, e quorum scriptis in enarranda Alcibiadis vita profecit Plutarchus (conf. Baehrius in Praef.), memoriae tradiderit, iisdemque abusus sit Sophista ad conflandam ineptam hancce declamationem. Quid? si forte Andocidis *ἀπολογία πρὸς Φαίακα*, cuius meminit Plutarchus in libro de X Oratt., non diversa fuerit ab ea, quam in Parallelis accuratius vocavit *λόγον τινὰ, κατ' Ἀλκιβιάδου καὶ* (sic legitur in Codd.) *Φαίακος ἐπιγεγραμμένον* (2). Quae etsi postea periit, prius tamen Plutarchum nonnulla de privata Alcibiadis vita docere potuit, eademque causam praebere declamatori, ingenioli foetum clarissimi oratoris nomine venditandi.

Iam vero redeamus ad ipsius belli historiam enarrandam, quae tamen ab hoc in primis anno cum interiore Atheniensium conditione ita cohaerere coepit, ut mirum nemini facile accidat, ubi in digressionem de rebus civilibus iterum evagantes nos mox animadvertat. Praeterlapsa enim hieme *ἅμα ἦρι* (statim post 11. Apr.) e Sicilia redierunt legati. A Segestanis decepti (Thuc. VI. 46. Diod. XII. 83. Polyaen. VI. 21.), de horum opibus magnifice referunt, sexaginta argenti talenta secum ferentes. Hinc tanta suscipiendi belli cupiditas Atheniensibus iniicitur, ut Alcibiadem, Niciam Lamachumque creent *στρατηγοὺς αὐτοκράτορας*. Sed Nicias, quem invitum imperio ornarant, quinto die post summopere civibus dissuasit expeditionem, qua temere decreta, patria de salute

(1) Invenitur in libro, qui inscribitur: *Andocides übersetzt und erläutert von* G. A. BECKER. Quedlinb. 1832. Cf. et Westerm, l. l. p. 60. 1. Sed acriter impugnat Meier., IV. p. 3, not.

(2) Ex conjectura Bakii, V. C. in Bibl. Crit. Nov. II. p. 96. quem hac in re sequimur.

periclitatura esset. Vicit tamen Alcibiadis oratio, cui accedebant Segestanorum Leontinorumque preces. Quibus ut permotam vidit Nicias multitudinem, quo eos fortasse apparatuum magnitudine deterreret, de navibus copiisque, quibus ad tantam expeditionem opus esset, multa locutus est. Neque eo magis quod volebat consecutus est; at postquam *τοῖς πᾶσιν ὁμοίως ἔρως ἐνέπεσεν ἐκπλεῦσαι* (1), tandem Demostratus, *ὁ μάλιστα τῶν δημαγωγῶν ἐπὶ τὸν πόλεμον παροξύνων τοὺς Ἀθηναιόυς*, rogationem perfert, praetoribus ut ingens copiarum vis plenaque agendi potestas concederetur. Thuc. VI. 8-26. Diod. XII. c. 83. sq. Plut. Alc. c. 17. sq. Nic. c. 12. Aristid. II. p. 125. Nepos. Alc. c. 3. § 1. Iustin. III. 4. § 1. in extremis tempora confundens. Cf. ad a. 424. p. 43.

Fatali autem isti bello Siculo non defuerunt mala omina ab ipso quidem die, quo Demostrato auctore bellum decretum est, dum Atticae mulieres Adonia celebrabant (Aristoph. Lysistr. vs. 391.). Deinde alia quoque, et aliunde et Delphis allata (Plut. Nic. c. 13. de Pyth. or. c. 8. p. 397. Clitodem. apud Paus. X. 15. § 3.), nonnullorum animos metu occupabant, quos et movebat Socratis Metonisque, nihil boni praesagientium auctoritas. (Plut. l. l. Alc. c. 17. de Gen. Socr. c. 11. p. 581. Plat. Theag. c. 12. p. 129. Aelian. XIII. 12.)


In summam vero trepidationem civitatem adduxit Hermarum mutilatio; quod impium facinus quo tempore perpetratum sit, quamquam incertum est, tamen cum Dodwello ad extremum Munychionem, aut potius Thargelionis *νουμηνίαν*, probabiliter referas. Priorem mensem ne cogitemus cavent Diodori verba XIII. c. 2.; *ἤδη τοῦ στόλου παρεσκευασμένου*, quae tamen vereor ne ducta sint e Thucydide c. 29. *ἤδη γὰρ καὶ τὰ τῆς παρασκευῆς ἐπεπόριστο*, sed haec ad paullo posteriora tempora pertinent. Certiora docemur ab Andocide or. de Myst. c. 3., ubi tradit, praetoriam Lamachi navem iam extra portum fuisse, quum prima delatio facta est; hanc autem ipso crimine non longe posteriorem quisque existimaverit. Neque eo magis Scirophorionis *νουμηνίαν* aliquis praeferat, temporis enim intervallo satis magno separanda sunt perpetratum scelus emissaque classis. Quod magis etiam apparebit, ubi de historia famosi istius iudicii quaedam annotaverimus, quia post egregias Sluiteri Andocideas Lectt. positamque in his rebus tum Wachsmuthii in Antiq. Gr. I. 2. p. 192. 444. sqq. tum praecipue Droyseni operam, meo officio satisfecisse putabo, si illa tantum commemoravero, in quibus viris istis doctissimis assentiri non possim, quaeve ad probandam meam opinionem peculiari mentione egere videantur.

---

(1) Thuc. VI. 24. Idem si putemus voluisse Plut. in Alc. c. 18.: *καὶ γενομένων ἑτοίμων πάντων πρὸς τὸν ἔκπλουν*, et hinc argumentum peti possit, quo illorum errori occurratur, qui Adonia celebrata putent, quo tempore expeditio *emitteretur*. Haud scio an ad latius spargendum illum errorem aliquid contulerit Alcibiadis reditus in patriam, quo nefasto Plynteriorum die appulit. (Xenoph. Hell. I. 4. § 12. Plut. Alc. c. 34.) Cf. omnino saepius laudanda Droyseni Comm. de Hermocopidis, inserta Museo Rhenano III. 2. p. 161. sqq. IV. 1. p. 27. sqq.


THE LIBRARY OF CONGRESS


INFORMATION
CONSERVATION, INC.
JULY-AUG. 1987


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 053 495 5